ALE VITT. EMANUELE
0

1216

DE CONCVRSV DEI AD ACTVS LIBEROS VOLVNTATIS CREATÆ,

Ac De ſcientia quam Deus habet de contingentibus ſub conditione futuris priùs ratione quàm liberè quidquam decernat.

OPVSCVLA THEOLOGICA FRANCISCI DIOTALLEVII Ariminenſis.

Nunc primùm in lucem edita.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Dom. Prof. Rom.

LVGDVNI,

Sumptibus Horatij Cardon.

M. DCXI.

CVM PERMISSV SVPERIORVM.

BIBLIOT. S. SILVE...

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO D. DOMINO ALOYSIO CAPPONIO S. R. E. Cardinali Ampliſſimo.

FRANCISCVS DIOTALLEVIVS.

PLVRIMVM tibi libentiſsimè debeo, Cardinalis ampliſsime, tum aliis nominibus permultis, tum eò potiſsimùm, quòd tunc domi tuæ perhumaniter, atque honorificè receptus ſim, cùm primi (quicũque ſint) ingenij mei partus in lucem

proferendi fuerint. Hinc enim futurum ſpero, vt ſi minùs fortè grati contingãt,quia ex meo ſenſu,iucundè ſaltem accipiantur, quia è tecto exeunt tuo. Prodibunt ergo ab amplitudine tua petitis auſpiciis partus,ſi ſtaturam quidem ſpectes,puſilli;ſi verò materiam,in qua nullius vel præclariſsimi ingenij hac noſtra ætate non deſudauit labor, grandes nimis prodibunt teſtes eximiæ humanitatis in me tuæ, ac teſtes ſingularis ſtudij, quo bonas artes ita proſequeris, vt nihil eorum aſpernari poſsis, quæ ab ipſis quoquo modo emanant. Ornatum equidem adhibui nullum, & nullumverborum lenociniũ; ſed

ſed ſtylo vſus ſum, quem in lyceo Theologorum didici, antequàm ad alia ſtudia me conferrem : nec tamen à te quamuis omnia ad viuum ingenij acumine reſecanti notam vllam (vt opinor) vereri debeo; cùm in re tam ardua, non tam eleganter, quàm aptè, & apertè dicere ſtuduerim. Quod ſanè, vt ingenuè fatear, præclarum duxi: ſed ſiue id aſſecutus ſim, ſiue, quæ mea eſt tenuitas, longiùs à propoſito aberrauerim; ea tamē humanitate, quam hæreditario quodam tuæ familiæ iure acceptam mirum in modū quotidiè auges, accipe hos animi mei fœtus, vt vitam, ac ſpiritum tuo beneficio ducant:

APPROBATIO.

IOANNES Claudius Deuillius, in ſacra Theologia Magiſter,& diuini verbi Prædicator; In ſancti Pauli huiuſce Ciuitate Canonicus, & in hac Lugdunenſi Diœceſi à Domino Claudio de Bellieure Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Archiepiſcopo, Librorum Cenſor deſignatus, fidem facimus nos hunc librum, cui inſcriptio eſt, *Opuſculum Theologicum Franciſci Diotalleuij, De concurſu Dei ad actus liberos voluntatis creatæ*, accuratè perlegiſſe; nihilque in eo orthodoxis Catholicæ ac Romanæ Eccleſiæ dogmatibus aduerſum, nobis, animo vel præſentiſsimis, occurriſſe. Quinimò, perquàm nitidum & magnificè acutum opus viſum eſt:ideóque, quod Typis mandetur ſplendidè dignum, iudicauimus. Lugduni, apud ſanctum Paulum. XVI. Kal. Septemb. 1611.

IOAN. CL. DEVILLIVS.

R.D. D. Antonij Emanuelis Chalomi huius libri imprimendi facultas.

ANTONIVS Emanuel Chalomus in præfectura Lugdunēſi Conſiliarius Regius, in primatu Franciæ Iudex, & in Archiepiſcopatu Lugdunenſi Vicarius Generalis: *Opuſculum Theologicum Franciſci Diotalleuij, De concurſu Dei ad actus liberos voluntatis creatæ*, à Theologis recognitum, vt in lucem edatur facultatem concedimus. Lugduni 15. Iulij 1611.

CHALOM V. G.

Deus habet de contingẽtibus ſub conditione futuris priùs ratione, quàm liberè quidquam decernat. p.106

CAPVT I.

Refertur opinio negans habere Deũ certam ſcientiam horum futurorum priùs ratione quàm aliquid de ipſis decernat. Et ordo in ea confirmanda ſeruandus innuitur. p.108.

CAPVT II.

Propoſita ſententia probatur auctoritate S.Thomæ. p.111

CAPVT III.

Eadem opinio negans in Deo ante decretum ſcientiam contingentium ſub conditione futurorum Theologicis rationibus comprobatur. p.134

CAP.

CAPVT IV.

Eadem ſententia negans Deo ſcientiam contingentiũ ſub cõditione futurorum probatur ex refutatione eorum, quæ in oppoſitæ opinionis explicationem, & confirmationem afferri ſolent. p.157

CAPVT V.

Proponitur & probatur opinio, quæ Deo tribuit ante liberum quodcumque decretum ſciẽtiam contingentium ſub conditione futurorum. p.137

CAPVT VI.

Veritas obiectiua rei contingentis ſub conditione futurę explicatur: ac probatur ex veritate futurorũ contingentiũ abſolutorum. p.196

CAPVT VII.

Soluuntur argumenta propoſita c. 2.

pro

pro prima ſententia, quæ S. Thomæ auctoritate innitebatur, & omnia contra Aduerſarios retorquentur. p.256

CAPVT VIII.

Satisfit rationibus, cap. 3. propoſitis pro prima ſententia. p.263

CAPVT IX.

De Argumentis pro prima ſententia allatis capite primo. p.267

CAPVT X.

Alia nonnulla Argumenta ab aliis allata proponuntur contra ſecundam ſententiam ab Auctore probatam. ibid.

CAPVT XI.

Argumenta proximo cap. propoſita diluuntur. p.271

OPVSCVLVM THEOLOGICVM FR. DIOTALLEVII.

De Concurſu Dei ad actus liberos voluntatis creatæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PROOEMIVM.

CELEBERRIMA eſt inter Catholicos nonnullis abhinc annis orta controuerſia, quæ à diuinis auxiliis nomen ſibi vendicauit. Ea verò licet complures contineat quæſtiones; omnes tamen, vel ſaltem quæ præcipuæ ſunt; ab illa pendere videntur: quo ſcilicet pacto Deus concurrat ad actus liberos voluntatis creatæ, tum ad eos qui ſupernaturales ſunt; tum etiam ad eos, vel potius ad phyſicam entitatem eorum, qui ſunt ordinis naturalis, & mali moraliter. Quod ipſum dum quæritur nil aliud profectò quæritur; niſi An concurſus generalis Dei phyſicè prædeterminet voluntatem creatam ad producendam entitatem phyſicam actus praui:&,An gratia efficax phyſicè eandem prædeterminet ad actum bonum ſuper-

naturalem ac propterea per aliquam realem virtutem ſibi propriam differat ab auxilio gratiæ ſufficientis nec ne. Hanc autem quæſtionem vnà cum tota controuerſia fusè, atque egregiè tractarunt doctiſſimi viri complures; nullus tamen id ſibi propoſuiſſe videtur, vt ea ex profeſſo congereret, quæ ex ſacroſancto Concilio Tridentino erui poſſent ad hanc cauſam accommodata. Quamobrem cùm mihi Iuriſprudentiæ ſtudia non permittant, vt totam controuerſiam latiùs pertractem; non ab re viſum eſt, præcipuam illam controuerſiæ partem, à qua ceteræ pendent; ita attingere, vt ad meam ſententiam confirmandam ea omnia in medium proferam argumenta quæ mihi ſacroſancta Tridentina Sinodus, ſeſſione ſua ſexta ſuppeditauit: cùm præſertim aliqua ex iis nonnihil habere virium illi ipſi perſuaſerint; quibus vtpote meæ opinioni aduerſantibus eadem Romæ in publicis, priuatíſque Diſputationibus diſſoluenda propoſui: etſi enim eorum ſententiæ in hac quæſtione minimè ſubſcribo; eos tamen doctiſſimos viros eſſe libens fateor; atque hoc ipſorum teſtimonium eò libentiùs magni facio; Quia diſſenſio hæc intellectus ſpeculatiui (cui nihil commune cum animi motibus ac voluntatis pondere) nullatenùs imminuit optimam illam animi mei propenſionem, quæ ipſorum tum beneuolentiæ erga me, tum etiam doctrinæ; atque aliarum virtutum inſignibus iure debetur. Agam igitur ſolum de concurſu diuino ad illos actus liberos creatos, qui vel mali ſunt moraliter; vel boni ſunt & ſupernaturales: Cæteros verò actus omittam; quippequi non pertineant ad eam controuerſiæ partem,

quam aggredior ; & vel eandem , vel minorem contineant difficultatem.

In toto autem hoc Opuſculo , & ſequenti, abſtinebo ab omni planè Cenſura illius opinionis, quam pro viribus oppugnãdam arbitrabor: Quod ſi quidpiam quod notam aliquam redolere videatur; vel inter argumentandum exciderit; vel argumentationis natura extorſerit cum ſubiecta materia coniuncta ; Id ne Cenſuræ loco haberi vllo modo poſſit; Apertè in præſentia moneo, illud à me non proferri tanquam iudicium quod de Aduerſariorum opinione feram ; ſed ſolùm tamquam argumẽtationem quandam, aut illationem. Vt ergo ad rem veniamus, pugnantes in propoſito ſententias referemus ; vt eam poſteà, quæ nobis amplectenda videtur , ex doctrina Concilij pro viribus confirmemus.

CAPVT PRIMVM.

Proponitur ſententia eorum qui voluntatem creatam ad actus liberos phyſicè à Deo prædeterminari putant.

THeologi nonnulli recentiores, qui arbitrantur voluntatem creatam à Deo moueri per phyſicam prædeterminationem , de tribus capitibus illius Quæſtionis , quam in Prooemio pertractandam propoſuimus , hæc ſecum ipſi ſtatuunt. Aſſerunt primò, Auxilium gratiæ efficacis ſimpliciter neceſſarium eſſe ad ſingulos actus ſupernaturales eliciendos: efficaciam verò in eo conſiſtere vt phyſicè, ſiue ad modum cauſæ phyſicè prædeter-

minet arbitrium creatum vt liberè ac infallibiliter conſentiat Deo excitanti, atque vocanti. Neque enim in huiuſmodi efficacia vllum ordinem includi putant ad præſcientiam conſenſus arbitrij ex hypotheſi futuri: ſed auxilium ipſum ſecundùm ſe conſideratum intrinſecè ac eſſentialiter habere hanc efficacem virtutem, vt prædeterminando faciat cauſas liberas liberè operari.

Hinc verò inferunt voluntatem creatam gratiæ efficaci diſſentire non poſſe in ſenſu compoſito; ſed ſolùm in ſenſu diuiſo. Quam diſtinctioné cùm ab aliis perperam putent explicatam ipſi ita declarant, vt dum homo negatur poſſe diſſentire in ſenſu compoſito motioni efficaci, ſenſus ſit vt licet potentia ad actum oppoſitum cum illa motione conſiſtat; implicet tamen contradictionem hæc duo ſimul eſſe vera: vt ſcilicet auxilium efficax ſit in homine, & homo diſſentiat. Dum verò aſſerunt hominem auxilio efficaci motum diſſentire poſſe in ſenſu diuiſo; id ſe ſignificare profitentur; vt homo dum habet motionem efficacem ſimul etiam retineat potentiam ad actum motioni oppoſitum cum ipſa tamen motione non coniungendum, ſicut in ſimili dicitur. Paries albus in ſenſu diuiſo poſſe eſſe niger, quia ſimul cum albedine retinet potentiam ad nigredinem, quamuis vtranque qualitatem ſimul habere nequeat. Quamuis enim (inquiunt) potentia ad diſſentiendum phyſica ſit, & abſolutè loquendo poſſit reduci ad actum, nunquam tamen reducetur ſtante in hoc homine auxilio efficaci, quia ipſum auxilium facit, vt illa potentia non reducatur in actum eidem auxilio repugnantem,

Secundò

Secundò aſſerunt auxilium efficax diſtingui ab auxilio gratiæ ſufficientis per aliquid ſibi intrinſecum, eò quòd auxilium efficax ſecundùm ſe, atque vt venit à Deo realem aliquam virtutem habeat ad efficiendum, quam in ſe ipſo non habet auxilium ſufficiens.

Tertiò denique aſſerunt ſatis conſequenter phyſicam prædeterminationem à Deo conferri etiam cùm actus praui eliciuntur, ita vt quicquid entitatis reperitur in quocunque actu peccati, quamuis intrinſecè malo debeat in Deum referri, tanquam in primam cauſam præmouentem, & prædeterminantem actuali motione creatam voluntatem ad talem actum, quatenus actus & ens eſt. Hanc opinionem adeò fideliter à me eſſe relatam vt ad ſubtrahendam omnem querelæ occaſionem, verbis ipſis addictus eſſe voluerim, facilè comperiet, qui Auctores ipſius leuiter etiam percurret.

CAP. II.

Explicatur ſententia eorum qui negant omnem phyſicam prædeterminationem. Et innuitur ordo ſeruandus in ea probanda ex doctrina Concilij Tridentini, ſeſſ. 6.

SEntentia ſuperiori contraria, vtpotè phyſicam omnem prædeterminationem de medio tollens, eſt non ſolùm doctiſſimorum virorum ex recentioribus, ſed antiquorum etiam ſcholaſticorum, & firmiſſima habet fundamenta in ſacris literis, Conciliis, & Patribus, vt fusè ac optimè

oſtendunt Molina p.p.q.14.art.13.& 9.23. & in concordia iiſdem in locis, Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus lib.4.de gratia,& lib. arbitr. cap.4. & lib 6. cap.15.& alibi Suares in opuſculis præſertim lib.3.& alij. Qui hac in re nihil aliud ſentiunt, quàm id quod S.Auguſtinus conceptis verbis expreſſit lib.1.ad Simplic.q.2.vbi ſic habet.*Vt & illud verum ſit multi vocati, pauci electi, vt quamuis multi vno modo vocati ſint, tamen quia non omnes vno modo affecti ſunt illi ſoli ſequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei, & illud non minus verum ſit. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, qui hoc modo vocauit, quo aptum erat eis, qui ſecuti ſunt vocationem*, & paucis interiectis.*Verum eſt ergo multi vocati, pauci verò electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati. Illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi non electi, quia non ſecuti, quamuis vocati*, & rurſus poſt pauca. *Cuius autem miſeretur ſic eum vocat quomodo ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat.* Hæc Auguſtinus cuius etiam verbis hi Auctores addicti.

Dicunt primò auxilium efficax, quod ex diuina electione, & decreto diuinæ voluntatis datur, illud eſſe, quod confertur ita affectis, vt ad illud recipiendum reperiantur idonei, quippe quo congruenter vocantur, atque ita vocantur quomodo ſcit Deus eis congruere, vt vocantem nõ reſpuant; gratiam enim efficacem aſſerunt eſſe gratiam congruam, ſed congruitatem nequaquam conſiſtere in natura,& eſſentia ipſius gratiæ, quæ ex ſe abſque vllo ordine ad conſenſum arbitrij, etiã ſub conditione futurum efficaciam habeat. Probant verò id ex verbis relatis, quia ſi hæc nimia congruitas admittere

mitteretur. Non ideo non ſequerentur omnes vno modo vocati, quia non omnes vno modo affecti eſſent (vt vult S. Auguſtinus) ſed potiùs ex pluribus eodem modo affectis, ideò alij ſequerentur, alij non ſequerentur, quia non omnes eodem modo (hoc eſt vocatione eiuſdem virtutis) vocarentur. Neque conſiderãdi eſſent alij atque alij excitationis, ac ſuaſionis modi, quibus homines pro ſui diuerſitate ad conſenſum alliciuntur, ac perducuntur (vt conſiderat S. Auguſtinus poſt verba relata.) Nam Deus hac vna ratione perſuaderet omnibus neque eodem, neque ſimili modo affectis, ſi nimirum phyſicam prædeterminationem largiretur.

Dicunt ſecundò auxilium efficax non diſtingui encitatiuè, & eſſentialiter ab auxilio ſufficienti, vel per vllam realem virtutem ſibi propriam, quæ auxilio ſufficienti ineſſe non poſſit. Probant hoc ipſum ex verbis relatis, quia ex multis vno modo vocatis, hoc eſt auxilio eiuſdem virtutis alij ſequuntur, alij non ſequuntur, & ideò licet in iis, qui ſequuntur auxilium ſit efficax, in iis verò qui non ſequuntur ſit ſolùm ſufficiens, ſi tamen ſpectetur entitas realis, ac realis, & intrinſeca virtus vtriuſque nullum eſt diſcrimen. Quamobrem auxilium efficax in eo putant à ſufficienti differre quod efficax ex electione diuina, ſeu efficaci, & abſoluto Dei decreto de conſenſu arbitrij creati detur cum ea conditionalium futurorum præuiſione qua cognoſcitur alicui ſpectatis omnibus ita congruere, vt ſi per ipſum vocetur infallibiliter conſenſurus ſit, cùm tamen auxilium ſufficiens quantumuis æqualis, & aliquando etiam maioris virtutis

intrinſecæ cum oppoſita præuiſione conferatur.

Ex his inferunt primò in gratia efficaci, in ratione efficacis inuolui non ſolùm realem entitatem, & virtutem ipſius auxilij, ſed præterea etiam præuiſionem illam: qua, cùm arbitrij conſenſus ideò conditionaliter futurus prænoſcatur, quia conditionaliter futurus eſt: ſequitur vt gratia efficax in ratione efficacis eam neceſſitatem futuri conſenſus arbitrij includat, qua omne, quod eſt dum eſt neceſſe, eſt eſſe.

Inferunt ſecundò gratiæ efficaci ſecundùm ea omnia, quæ includit in ratione efficacis diſſentiri non poſſe in ſenſu compoſito, quia in ea ratione includitur neceſſitas ex ſuppoſitione conſequenti, vt conſenſus arbitrij ſit futurus, ſi gratia detur in illis circũſtantiis, cum quo non poteſt coniungi, vt ſi gratia in illis ipſis circunſtantiis detur, conſenſus non ſit futurus, & adſit diſſenſus: At verò, ſi gratia, quæ eſt efficax, ſpectetur ſecundùm totam realem vim, ac virtutem ſibi intrinſecam abſtrahendo ab omni præſcientia, & ſuppoſitione futuri conſenſus, docent gratiæ efficaci diſſentiri, & reſiſti omnino poſſe in ſenſu compoſito cùm huiuſmodi gratiæ de facto (teſte Auguſtino) in ſenſu compoſito diſſentiat à multis, qui vocationem non ſequuntur licet eodem modo (hoc eſt æqualis virtutis auxilio) vocati quo alij, qui ſequuntur.

Inferunt tertiò contemperationem illam Auguſtinianam creatæ voluntatis cum gratia ſeu ipſummet creatæ voluntatis conſenſum, vt conditionaliter futurum, eſſe conditionem ſine qua entitas gratię motionis, vel auxilij peruenientis cum tota ſua reali virtute non habeat rationẽ efficacis.

Denique

Denique inferunt quartò argumenta, quibus contra Auctores primæ ſententiæ probatur, admittendam eſſe potentiam ad diſſentiendum auxilio efficaci in ſenſu compoſito atque ad conſentiendum in ſenſu compoſito auxilio ſufficienti per ſe ſumpto, contra hanc ipſorum ſententiam retorqueri non poſſe. Nam eò ſolùm ſpectant argumenta illa, vt ſcilicet cum gratia, quæ de facto eſt efficax ſpecificatiuè ſolùm accepta, & ſecundùm entitatem, ac totam tuam realem virtutem coniungi poſſit actus oppoſitus, & cum eo, ratio inefficacis. Et ſimiliter cum ea ſola entitate gratiæ, quæ de facto eſt auxilium ſufficiens coniungi poſſit actus ad quem mouet, & conſequenter ratio efficacis. Quæ cùm primam ſententiam funditus euertant, hanc tamen poſteriorem opinionem explicant, & confirmant. Ideò cum huius ſententiæ Auctores docent ſenſum Concilij Tridentini eſſe, vt cum gratia efficaci ad volitionem boni coniungi poſſit nolitio eiuſdem, aut volitio oppoſita, non id volunt, vt ſimul quis poſſit velle, & nolle idem bonum, ſed vt cum tota illa virtute auxilij, à quo de facto producitur (arbitrio creato liberè concurrente) volitio boni, poſſit (ſecluſa ſuppoſitione, & præſcientia conſenſus futuri) coniungi per liberam ſubtractionem conſenſus arbitrij, nolitio eiuſdem boni, & volitio oppoſita. Quæ omnia ſemper habenda ſunt præ oculis dum legitur quidpiam eorum, quæ contra Auctores primæ ſententiæ obiiciuntur in hac quæſtione, quam præ manibus habemus. Atque hæc de auxilio Dei ſufficienti, ac efficaci ad bonos actus.

Quod verò pertinet ad actus malos dicunt

phyſicam prędeterminationem ad illos multò minùs admittendam eſſe. Probant tum ex ſuperioribus, tum etiam ex aliis Auguſtini verbis eodem lib.1.ad Simplicеam,quæſt.2.vbi ait. *Nihil à Deo erogari quo ſit homo deterior:ita vt ob hoc dicatur obdurare peccantes quoſdam, quia non eorum miſeretur, non quia impellit,vt peccent.* Hinc autem colligunt. Ad hos actus Deum permiſſiuè ſolùm concurrere, ſeu per concurſum ſimultaneum cauſæ liberæ naturaliter debitum, vt ſua libertate vti poſſit, ita vt ad actum malum potiùs, quàm ad bonum ideò ſolum Deus concurrat, quia ita præuiſa eſt per ſcientiam futurorum contingentium conditionalium exigere libertas creata, cùm alioqui Deus ſemper paratus ſit libentiùs (vt ita dicam) concurrere ad actum bonum.

Contra hanc ſententiam ita explicatam illud obiici poſſet. Non ſatis firmum eſſe fundamentum ipſius in libro illo ad Simplicianum quæſt.2. conſtitutum. Vel quod liber ille ab Auguſtino ſcriptus non ſit, vel quod ſcriptus fuerit ante exortam hæreſim Pelagianam: quo tempore Auguſtinus naturam gratiæ non tam accuratè perpenderat. Sed hæc nullo negotio reiiciuntur. Quod enim liber ille non alium, quàm S. Auguſtinum habeat Auctorem patet, quia S. Auguſtinus lib. 2. retractatum initio, & de prædeſtinat. Sanctorum, cap.4. illum vti ſuum agnoſcit, atque ita agnoſcit, vt eius materia argumentis atque initio deſcriptis, nullum cuinſuis ſuſpicioni locum relinquat. Quòd verò ab Auguſtino iuniori ante hæreſim Pelagianam ſcriptus fuerit, nihil refert; quia poſt eandem hæreſim non exortam modò, ſed pluribus

etiam refutatam;damnatam publicè;& ad ſenium vergentem ita ab eod. Auguſtino approbatus eſt tum locis ſuprà citatis, tum etiam de bon. perſeuer.cap.20.& 21.vt cap.illo 4. de prædeſt.Sanctorum ſecundùm veritatem diuinarum Scripturarum,& Deo reuelante ſcriptus dicatur : Imò tanti fecit hunc librum Auguſtinus poſt hæreſim Pelagianam,vt eum aptiſſimum iudicauerit ad ipſorum etiam Semipelagianorum errorem facilè reiiciendum. Qua de cauſa citato cap. 4. SS. Proſperum , & Hilarium , vt eundem in Maſſilientium notitiam perducant. Quorum hæreſim dum ipſemet Auguſtinus refellit in lib. de bon. perſeu. cap. 14. libri huius ad Simplician. quæſt.2. & doctrinam, & verba clariſſimè repetit.

Summa eorum in quibus duæ propoſitæ ſententiæ inter ſe pugnant.

EX his omnibus patet Iria pòtiſſimùm eſſe in quibus vtriuſque ſententiæ Auctores inter ſe diſſentiunt. Primum enim Auctores primæ opinionis aſſerunt, Auxilium efficax (ſecluſa omni præſentia , & ſuppoſitione futuri conſenſus)phyſicè prædeterminare voluntatem creatã ad actum bonum ſupernaturalem;ita vt ex natura illius virtutis realis , quam tale auxilium includit,ſit cum eo incompoſſibilis eiuſdem actus negatio,& actus oppoſitus.

Deinde ex ſuperiori propoſitione deducunt auxilium efficax diſtingui à ſufficienti realiter, ſiue per aliquam realem virtutem ſibi intrinſecam, qua ſufficiens careat.

Tertiò

Tertiò denique tribuunt vim phyſicè prædeterminandi arbitrium creatum,non ſolùm auxilio ſpeciali gratiæ efficacis, ſed etiam auxilio,quo Deum putant nos mouere ad eos ipſos actus, qui ſunt intrinſecè mali, ſiue ad realem ipſorum entitatem.

Hæc autem omnia conſtantiſſimè negantur ab Auctoribus ſecundæ ſententiæ, qui auxilium ſufficiens gratiæ, & efficax, & concurſum ad actum peccati longè aliter explicant, vt paulò antè indicauimus. Quia igitur poſteriori opinioni libentiſſimè ſubſcribo. Eam(pro noſtro præſertim inſtituto) ſatis ſupérque confirmatam putabo, ſi ex doctrina huius ſextæ ſeſſionis non ſine magna ſaltem probabilitate tria illa Aduerſariorum placita reiecero.Quod vt pro viribus efficiam:quæ in hac ſeſſione, ad cauſam facere videbuntur,referam ſigillatim,atque ex iis argumenta depromam. Quæ verò afferemus vſque ad cap. 7. Ad ſententiam Aduerſariorum de gratia ſufficienti atque efficaci refellendam pertinebunt.Cap.verò 7.contra phyſicam prædeterminationem ad entitatem actus mali argumentabimur.

CAPVT III.

Argumenta pro ſecunda ſententia proximo cap. explicata ex nonnullis verbis ſacroſancti Concilij Tridentini,ſeſſione 6.cap.5.

PRimo loco ſeſe offert citatæ ſeſſionis cap.5.cuius ſingula ferè verba nobis mirum in modum fauent: Quia tamen pleraque ſimillima ſunt aliis, quæ

quæ habentur infrà can. 4. Ideò,ipſis in commodiorem locum reiectis, perpendemus in præſentia ea dumtaxat, quæ habentur in calce eiuſdem capitis,nimirum.*Vnde in ſacris litteris cùm dicitur,Conuertimini ad me,& ego conuertar ad vos libertatis noſtræ admonemur. Cum reſpondemus Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Dei nos gratia præueniri confitemur.*

Agitur hoc loco de diſpoſitione adultorum ad iuſtificationem, vt expreſsè patet legenti contextum huius capitis 5.& ſequentis. Quò fit vt conuerſio noſtra(de qua mentio habetur in verbis relatis)ſit motus ille fidei,ſpei,&charitatis in Deum, per quem cap. ſequenti dicimur ad iuſtificationem diſponi ; ad quem motum voluntas ex ſe abſque auxilio præuenientis gratiæ potens nequaquam eſt, Vt ex hoc ipſo cap. conſtat illis verbis. *Neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit* ; quod ipſum latiùs decernitur infrà, Can.3.Vt propterea cogamur fateri Dei nos gratia omnino præueniri debere, vt noſmetipſos mouere poſſimus in Deũ, atque ad illum conuertere. His autem poſitis ſic argumentor. Non poſſumus noſmetipſos conuertere in Deum,niſi quatenus auxilium diuinæ gratiæ præuenientis actu obtinemus, vt patet ex dictis. Ergo præceptum illud, Conuertimini ad me, & admonitio illa noſtræ libertatis non cadit ſupra nos niſi pro eo ſtatu,qui diuinæ gratiæ motionem includit. Tantùm enim abeſt, vt libertas ad conuerſionem conſiſtat ſine potentia ad illam,vt huiuſmodi potentia ſola ſine potentia ad oppo ſitum nonſit ſatis.Hinc autem clariſſimè infertur

fertur motione illa gratiæ nos phyſicè non prædeterminari, quia ſi ea motio nos non relinquit ita indifferentes, vt conuertamur ſi volumus, & non conuertamur ſi nolumus: fruſtra præcipitur nobis, vt poſtquam huiuſmodi motione præuenti ſumus, conuertamur, & fruſtra (ne dicam falsò) libertatis noſtræ in actu conuerſionis admonemur. At verò ſi motio illa gratiæ nos phyſicè prædeterminat; verè non relinquit nos ita indifferentes, vt colligitur ex teſtimonio moderni, atque egregij Doctoris, qui phyſicam prædeterminationem explicare, ac defendere ſtuduit libro ante paucos menſes impreſſo; ſic enim habet. *Efficacia moralis non prædeterminat phyſicè noſtram voluntatem ad operandum, ſed eam indeterminatam, & ita indifferentem relinquit, vt ſi vult operetur, ſi non vult nihil operetur. Sed efficacia Auxilij præuenientis gratiæ phyſicè prædeterminat noſtram voluntatem ad operandum; ergo hæc ille.* Quibus multum ponderis ineſſe videtur ad oſtendendum gratiam præuenientem phyſicè prędeterminantem ad conuerſionem non relinquere hominem ita indifferētem (etiam ex Aduerſariorum ſententia) vt ſi velit conuertatur, & ſi nolit non conuertatur: ſi enim prædeterminatio relinqueret indifferentiam non ſatis benè oppoſita fuiſſet efficacia auxilij præuenientis efficacis morali.

Refellitur reſponſio quæ ab Aduerſarijs afferri poſſet.

NEque valet ſi dicas Concilium cùm dicit nos præcepto illo conuerſionis admoneri libertatis noſtræ, loqui de nobis, vt motis gratia peruenienti

nienti ſufficienti, non verò efficaci, quæ phyſicè prædeterminat. Non (inquam) valet, nam Concilium agit de nobis vt motis ea gratia, per quam tangente Deo cor hominis, homo ipſe aliquid agat inſpirationem accipiens, quam abiicere poſſet: gratiam autem, per quam aliquid agitur, inconfeſſò, eſt apud omnes eſſe efficacem; præterquam quod Aduerſarij ſolent vltrò fateri, agi hoc loco à Concilio non ſolùm de gratia ſufficienti, ſed etiam de efficaci, vt attingemus infrà cap. 7.

Alia reſponſio reiicitur.

AT dices, hominem, vt motum gratia efficaci, quamuis phyſicè prædeterminanti ad conuerſionem eſſe adhuc liberum, conuertatur, & non conuertatur, quia phyſica prædeterminatio relinquit potentiam ad oppoſitum, ac propterea etiam libertatem.

Sed contrà eſt, quia ipſimet Aduerſarij concedunt formalem arbitrij creati libertatem ſitam eſſe in actiua indifferentia facultatis liberæ indifferenter ſe habentis ad oppoſita. Ex verbis verò paulò ſuprà relatis, atque ex ipſis terminis euidens videtur facultatē phyſicè prædeterminatam ad vnum indifferenter ad oppoſita nequaquam ſe habere. Et quamuis voluntas phyſicè prædeterminata, vt conuertatur, poſſit in ſenſu tantùm diuiſo (vt Aduerſarij contendunt) non conuerti. Id tamen, vt clariùs etiam, ac fuſiùs oſtendetur in ſequentibus capitibus) non eſt ſatis ad libertatem. Ad hanc enim requiritur potentia ad oppoſita, quę ſit expedita, & proxima ex communi omnium

ſenſu,

ſenſu, quem ipſemet Aduerſarij negare non audent, ſed conantur explicare. Quis autem dicat eam potentiam per quam poſſit quis non conuerti ſolum in ſenſu diuiſo ea quòd ipſa coniungi nequeat cum negatione couuerſionis, eſſe potentiam expeditam, & proximam ad hæc oppoſita, ſcilicet ad conuerſionem, & non conuerſionem? Notio enim ipſa nominis rem clariſſimam reddere videtur. Nam cùm proximitas propriè dicta ſit inter duo quanta, à quorum altero, vt ad alterum perueniatur per nullam quantitatem interceptam priùs pertranſeundum ſit: hinc proxima potentia dicta eſt illa, à qua tranſitus ad actum immediatus eſt, quia nihil inter ipſum, & potentiam intercipitur per quod ſit quodammodo gradus faciendus, cum à potentia ad actum progrediendum eſt. At verò ſi potentia phyſicè prædeterminata ad conuerſionem in Deum eſt potentia ad oppoſitum in ſenſu tantùm diuiſo: vt ab ea perueniatur ad liberam negationem conuerſionis; medium aliquid pertranſeundum omnino eſt; debet enim priùs eſſe deciſio ipſius prædeterminationis ad conuerſionem; & etiam prędeterminatio ad entitatem illius actus liberi, quo negatio conuerſionis eligitur. Ergo huiuſmodi potentia prædeterminata ad conuerſionem, per quam in ſenſu ſolùm diuiſo poteſt quis non conuerti, non eſt potentia proxima ad conuerſionem, & ad oppoſitum nec libera.

Confirmatur verò egregiè tota hæc ratiocinatio: quia vt optimè docet Scot. in 4. diſt. 49. quæſt. 6. ſub. §. Dico ergo ex doctrina Ariſt. 9. Meta. text. 12. potentia operatiua non eſt ſatis, vt aliquid non ſolùm ſecundùm quid, & quantum eſt ex parte ſui,

ſed

ſed etiam ſimpliciter poſſit operari: Nam requiritur prætereà, vt nihil ſuperſit addendum, remouendum, aut immutandum, vt effectus ſit. Cùm autem aliquid diſpoſitione aliqua affectum dicitur potens in ſenſu diuiſo tantùm ad oppoſitum: Vt actum hunc oppoſitum acquirat, priùs eſt aliquid remouendum, ac immutandum, quia vt expreſsè docet Capreol. Thomiſtarum Princeps in 2. diſt. 28. quæſt. 1. art. 3. ad 2. contra 4. concluſionem id eatenus eſt potẽs ad illud oppoſitum, quatenus poteſt perdere diſpoſitionem quam habet, & acquirere contrariam. Ergo quicquid eſt potens tantùm in ſenſu diuiſo, non eſt potens ſimpliciter, ac proinde falſum omnino eſt, vt ſit in potentia proxima. Qua de cauſa Capreol. loco citato, & in reſp. ſequenti ad 3. (vbi potentiam in ſenſu diuiſo explicat exemplis, quæ ad eandem explicandam ab Aduerſariis offerri ſolent) pro eodem expreſsè accipit potentiam remotam, ac potentiam in ſenſu diuiſo, & potentiam proximam: ac potentiam in ſenſu compoſito.

Aliud argumentum ex verbis relatis deductum proponitur.

PRęterea vt magis, ac magis confirmetur hominem motum gratia præuenienti non eſſe liberum ad actum bonum, ſi motio illa phyſicè prædeterminet.

Pono primum phyſicam prædeterminationem ad conuerſionem tribuere voluntati, non ſolùm actum conuerſionis, ſed etiam potentiam ad illam, eò quòd in voluntate non adſit auxilium ſufficiens

 ficiens

ficiens à prædeterminatione diſtinctum: id quod ſaltem aliquando de facto contingit ex Aduerſariorum ſententia, vt videre licet apud eundem Modernum, cuius nonnulla verba ſuprà retulimus. Pono ſecundò libertatem noſtram in conuerſione in Deum eſſe non tantùm ad actum conuerſionis, & ſuſpenſionem illius abſque alio actu poſitiuo, ſed etiam eſſe ad liberam volitionem conuerſionis, & liberam, & poſitiuam volitionem conuerſione oppoſitam: per huiuſmodi enim poſitiuam volitionem gratiæ diſſentitur, atque abiicitur inſpiratio: quod à nobis præſtari poſſe docet Concilium hoc cap. 5. & infrà can. 4. & quãuis ad exercitium libertatis etiam in ſuſpenſione actus requiratur ex Aduerſariorum ſententia phyſica prædeterminatio, ac proptereà ſit in re eadem difficultas de libertate contradictionis, & contrarietatis. Nos tamen maioris claritatis gratia loquemur hîc de libertate ad volitionem conuerſionis & volitionem oppoſitam. His ergo poſitis ſic argumentor. Vt homo gratia præuenienti motus ad conuerſionem in Deum, liber ſit ad volitionem conuerſionis, & volitionem oppoſitam debet habere vnam, eandémque numero potentiam, per quam formaliter conſtituatur potens ad vtramque volutionem. Nulla enim eſt potentia libera; cùm facultas ad vnum oppoſitorum in vna, & ad reliquum in altera potentia reperitur. Qua de cauſa Scot. in 2. diſt. 37. quæſt. 1. ſub §. Aliter ponitur, ait in cauſa libera, quæ poteſt in oppoſita idem ſub eadem ratione propria eſſe cauſam oppoſitorum: At ex aduerſionem ſententia, homo ad conuerſionem motus, talem potentiam non habet; ergo: Minor

eni

euidenter probatur, quia potentia, quam homo gratia præuenienti motus habet ad volitionem conuerſionis eſt quid conflatum ex arbitrio creato & gratia efficaci phyſicè prædeterminante iuxta primam ſuppoſitionem Aduerſariorum ſententiæ conſentaneam. Potentia verò quam habet ad volitionem oppoſitam, non eſt illud ipſum conflatum: hoc enim volitionem illam oppoſitam producere, & recipere nequit: nam alioqui diſſentiretur gratię efficaci ſeu phyſicè prædeterminationi in ſenſu compoſito. Neque hoc argumentum retorqueri poteſt contra noſtram ſententiam, ex eo quòd potentia ad volitionem conuerſionis componatur, ex arbitrio creato, ac entitate gratiæ congruæ; potentia verò ad volitionem oppoſitam non eodem modo componatur; cùm entitas gratiæ congruæ non præbeat vires, neque concurrat ad volitionem hanc oppoſitam: Non, inquam, hoc pacto poteſt retorqueri. Nam licet entitas gratiæ congruę non concurrat ad volitionem ſibi contrariam: cum huiuſmodi volitione tamen (ſecluſa ratione congruitatis, ſeu ſuppoſitione futuri conſenſus) illa ipſa entitas gratiæ ſimul reperiri poteſt; vt propterea verum ſit eandem numero potentiam, quæ conflata ex arbitrio creato, & gratiæ entitate poteſt elicere, & recipere volitionem conuerſionis: Eandem prorſus conflatam, vt ſic; poſſe elicere, & recipere volitionem oppoſitam, quia quamuis elicere poſſit volitionem malam ratione partis ſolùm (nempe arbitrij creati.) Actiones tamen partis rectè tribuuntur conflato, dummodo compoſitione manente exerceantur. Hæc autem in opinione Aduerſariorum locum non habent,

quia conflatum illud ex arbitrio creato, & phyſica prædeterminatione, ratione prædeterminationis repugnat volitioni, quæ conuerſioni opponitur, quò fit vt in ſententia ipſorum nulla ratione poſſit eſſe vera hæc propoſitio. Compoſitum ex arbitrio creato, & phyſica prædeterminatione poteſt. (etiamſi addatur per concurſum ſolius arbitrij) elicere, & recipere volitionem conuerſioni oppoſitam: per hoc enim ſignificatur arbitrium ſimul retinere poſſe compoſitionem cum phyſica prædeterminatione, & actum eidem oppoſitum habere. Quod Aduerſarij contendunt falſum eſſe: Ac proinde nihil concedunt ratione cuius dici poſſit eſſe vna, eadémque potentia ad volitionem conuerſionis, & volitionem oppoſitam.

CAPVT IIII.

Argumenta pro eadem ſententia ex cap. 7. eiuſdem 6. ſeßionis.

Cap. 7. ad rem noſtram accommodata hæc habentur. *Iuſtitiam in nobis recipientes vnuſquiſque ſuam ſecundùm menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem, & cooperationem.*

His verbis conſtat propriam cuiuſque diſpoſitionem, & cooperationem conſtitui, vt aliquam licet minus præcipuum gratiæ menſuram. Si autem homo ad diſponendum ſe, & cooperandum phyſicè prædeterminaretur tam cooperatio ſimpliciter, quàm talis, vel talis, hoc eſt cum tanta, vel tanta intenſione, eſſet potiùs cooperatio, & diſpoſitio propria phyſicè prędeterminationis, quàm ipſius

ipſius hominis : quia non ab innata voluntatis libertate, ſed ab eſſentia, atque intenſione phyſicè prædeterminationis vndequaque penderet, ita vt vnica ratio, quare cooperatio tantam haberet intenſionem ea eſſet, quia phyſica prædeterminatio ex ſola Dei voluntate conceſſa tantam haberet virtutem. Quod rurſus ſi ita eſſet : ſola Spiritus ſancti voluntas debuiſſet aſſignari tanquam gratiæ menſura. Neque addenda fuiſſet (vt quid diuerſum pertinens ad eandem menſuram) propria cuiuſque cooperatio, & diſpoſitio. Adde quod ſi concilium voluiſſet cooperationem, & diſpoſitionem noſtram ita à Dei notione pendere, vt eadem conſtituta motionis vi, nullam ex placito noſtræ voluntatis varietatem accipere poſſet ; Caluino contendenti tribuendum eſſe ſoli efficacitati auxilij totam perfectionem noſtræ conuerſionis, & præparationis. Non diſplicuiſſent verba illa (& ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem) cui tamen ſummoperè diſplicuerunt : vt oſtendunt quæ ex eodem Caluino in antidoto refert Ruard. Iaper. ar. 7. in reſponſione ad argumenta Caluin. pag. mihi 250. Neque mouere nos debet quod ſi gratia datur ſecundùm menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult ; hoc ipſo videatur nullum in menſura gratiæ locum relinqui liberæ diſpoſitioni, & cooperationi. Ne irrita alioqui ſaltem aliqua ex parte ; reddi poſſit voluntas Spiritus ſancti partientis gratiam : Mouere nos, inquam, id non debet, nam voluntas Spiritus ſancti de tanta, vel tanta gratia adultis largienda non mandatur executioni ſine præuia ipſorum diſpoſitione, ad quam Deus mouet tali

auxilio, vt cum eo non ſolùm negatio tantæ intenſionis, ſed negatio etiam totius actus, imò, & actus oppoſitus coniungi poſſit. Qua in re cùm appareat locus libertati relictus in cooperando. Non tamen timendum eſt propterea ne irrita reddatur voluntas Spiritus ſancti, quia ex eadem voluntate homines à Deo mouentur eo modo, quo ipſe ſcit illis congruere, vt ſe diſponant ad eam partem gratiæ, quam Spiritus S. largiri ſtatuit.

CAPVT V.

Probatur ſecunda ſententia ex cap. xj. eiuſdem ſeſſ.

IN cap. XI. Primo loco ſeſe offerunt accuratiùs perpendenda verba illa initio capitis. *Nemo temeraria illa, & à Patribus ſub anathemate prohibita voce vti* (id eſt debet)' *Dei præcepta homini iuſtificato ad obſeruandum eſſe impoſſibilia. Nam Deus impoſſibilia non iubet: ſed iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuuat vt poſſis: cuius mandata grauia non ſunt, cuius iugum ſuaue eſt, & onus leue. Qui enim ſunt filij Dei, Chriſtum diligunt, qui autem diligunt eum, vt ipſe teſtatur, ſeruant ſermonem eius quod vtique cum diuino auxilio præſtare poſſunt.* Et paucis interiectis. *Vt iuſti ipſi eò magis ſe obligatos ad ambulandum in via Iuſtitiæ ſentire debeant, quod liberati iam à peccato: ſerui autem facti Deo ſobriè, iuſtè, & piè viuentes proficere poſſunt per Chriſtum Ieſum, per quem acceſſum habuerunt in gratiam iſtam.* Cum his coniungi poſſunt verba can. 18. infrà hac ipſa ſeſſione, nimirum; *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam*

etiam iuſtificato, & ſub gratia conſtituto; eſſe ad obſeruandum impoßibilia: anathema ſit.

Ex his verbis euidentiſſimè probari auxilium Dei ſufficiens ad implendam mandata ipſimet Aduerſarij fatentur, & quidem meritò. Nam ſi Deus impoſſibilia non præcipit, dum præcipit, vt iuſtè viuamus, & vitam æternam promereamur (quod abſque auxilio gratiæ præſtare non poſſumus, vt decernitur infrà can. 2.) Clariſſimum eſt debere nobis præſto eſſe illud auxilium, quo imbecillitas noſtra ſuffulta iuſtè viuendo, & vitam æternam promereri, & Dei mandata implere omnino poſſit. At verò ſi auxilium efficax phyſicè prædeterminat, & propterea ſufficiẽs auxilium ab efficaci realiter, atque entitatiuè diſtinguitur quippe quod reali aliqua virtute careat, quæ ſit propria efficacis, & præterea ſi Deus ad entitatem etiam cuiuſque actus mali phyſicè prædeterminat (vt Aduerſarij contendunt.) Omnes illi, qui auxilio efficaci deſtituti, & ad entitatem actus mali prædeterminati præcepta tranſgrediuntur; videntur illa implere non poſſe, ac propterea carere auxilio verè ſufficienti Concilio mirum in modum hoc in loco reclamante: Minorem hanc probat optimè Suarez in opuſc. lib. 3. de auxiliis diuinæ gratiæ cap. 8. ex eo quòd, qui caret auxilio efficaci non habet (ex Aduerſariorum ſententia) auxilium includens quicquid in ratione principij, & actus primi neceſſarium eſt ad effectũ: qua probatione ſatis euidenti vtuntur etiam alij Auctores noſtræ opinionis. Mihi verò videtur eadem minor probari præterea clariſſimè ea ratione, quia vt auxilium Dei præueniens, cui homo diſſentit peccando ſit verè

illi ſufficiens ad non peccandum, oportet, vt ſit talis inſpiratio, & motio, cui homo poſſit conſentire, & cum qua poſſit coniungere actum bonum, ad quem eadem motio mouet, aut negationem actus à quo illa remouet. Hoc autem concedere nequeunt Aduerſarij de illo auxilio, quod dicunt eſſe ſufficiens in homine peccante, quia ſi cum eo poſſet coniungi actus bonus ad quem illud auxilium mouet, aut negatio actus à quo remouet; poſſet etiam idem actus bonus eademque negatio coniungi cum prædeterminatione ad entitatem actus oppoſiti, quæ prædeterminatio ſimul cum illo auxilio ſufficienti reperitur, ac proinde poſſet phyſicè prædeterminationi in ſenſu compoſito diſſentiri, aut non conſentiri, quod falſiſſimum eſſe iidem Aduerſarij vbique clamant: vt verò vis huius rationis manifeſtior fiat, eam alicui exemplo applicatam forma ſillogiſtica muniam, addendo ſingulis propoſitionibus ſuas probationes.

Pono ergo Petrum v. g. vindictæ appetitu inflammatum elicere cum perfectiſſima cognitione eorum omnium, quæ hîc, & nunc actum efficiunt, liberam volitionem homicidij iniuſti contra præceptum Domini. Non occides: Pono præterea debere hoc loco iuxta opinionem Aduerſariorum duo auxilia aliquo modo oppoſita in Petro concedi. Alterum ſupernaturale quod ſit ſufficiens Petro., vt abſtineat à voluntate illa homicidij iniuſti ex fine ſupernaturali, atque vt actum oppoſitum eliciat. Alterum verò naturalis ordinis quod phyſicè prædeterminet voluntatem Petri ad producendam illam volitionem homicidij iniuſti ſecundùm

dùm omnem entitatem realem quam habet, & quatenus actus, & ens eſt: Habentur hæc ſatis expreſsè in ſententia horum Auctorum ſuprà c. 1. relata: Et quod in hac facti ſpecie dicimus; idem in aliis omnibus dicendum eſt: quotieſcumque enim actus aliquis elicitur contra quodcumque præceptum; voluntas ad illum ex Aduerſariorum ſententia phyſicè prædeterminatur ratione totius entitatis quam habet: quia phyſica prædeterminatio eſt neceſſaria ad omnem actum. Rurſus, quia hic actus debet eſſe liber, iidem Auctores fatentur debere tunc eſſe in voluntate auxilium ſufficiens ad abſtinendum ab eo actu, atque ad eliciendum actum oppoſitum. His ergo poſitis, vt oſtendamus in exemplo, quod attulimus: non dari auxilium verè ſufficiens in Aduerſariorum ſententia: ſic argumentor, ſi Petrus eliciens volitionem omninò liberã homicidij iniuſti haberet auxilium verè efficiens ad abſtinendum ab huiuſmodi volitione, atque ad eliciendam liberam volitionem oppoſitam: poſſet huiuſmodi auxilio conſentire in ſenſu compoſito. Sed non poteſt in ſenſu compoſito conſentire. Ergo non habet auxilium verè ſufficiens. Maior probatur.

Primò, quia cõſentire actualiter alicui auxilio eſt actualiter cum eo coniungere, ſeu componere actum ad quem mouet (vt conſtat tum ex notiòne nominis, tum ex conſenſu, quem præbemus auxilio efficaci.) Ac propterea Petrum ipſum actualiter conſentire auxilio ſibi ſufficienti ad abſtinendum à libera volitione homicidij iniuſti, atque ad eliciendum volitionem oppoſitam; nihil aliud eſt niſi ipſum cum auxilio illo ſufficienti actualiter

coniungere liberam negationem volitionis homicidij iniuſti, ac volitionem oppoſitam. Cum ergo poſſe Petrum auxilio ſufficienti conſentire, ſit poſſe illud ipſum quod eſt actualiter cõſentire tali auxilio: ſi verè conſentire poteſt auxilio ſufficienti ad abſtinendum à volitione homicidij iniuſti, atq; ad eliciendam volitionem oppoſitam; verè etiam poterit liberam negationem volitionis eiuſdem homicidij, & volitionem oppoſitam, ſimul habere cum eo auxilio ſufficienti. Quod eſt eidem auxilio conſentire in ſenſu compoſito. Hoc argumentum licèt (ni fallor) confirmatione non indigeat: confirmari tamen quàm maximè poſſet ex iis, quæ addemus infrà cum ſimile argumentum vrgebimus ex verbis, Cap. 5. & Can. 4. cap. n. 7.

Secundò; eadẽ maior, quod ſc. ſi auxilium verè eſt ſufficiens poſſit illi Petrus in ſenſu compoſito conſentire. Probatur, quia illud auxilium eſt verè ſufficiens ex cuius actiuitate iuncta cum actiuitate arbitrij creati conflatur actiuitas, & principium effectui adæquatũ: effectus enim, de quo loquimur, non debet pendere à ſolo arbitrio creato; quia ſuperat ipſius vires. Neque à ſolo auxilio, quia debet eſſe liber, & vitalis: ſed pendere debet ab vtriuſque viribus ſimul iniunctis: Ac propterea: Hoc quod eſt Petrum poſſe per auxilium quod dicitur ſufficiens abſtinere à volitione homicidij iniuſti atque oppoſitam volitionem elicere, nihil eſt aliud niſi poſſe ipſum Petrum per conatum, & influxum ſuæ voluntatis ſimul iunctum cum concurſu, & influxu auxilij prꝗuenientis ſibi inhærentis, abſtinere ab illius homicidij volitione, atque elicere volitionem oppoſitam. Cùm ergo auxilium

praue

prꝗueniens inhærens eatenus poſſit ſimul cum voluntate concurrere, quatenus illi inhæret. Hinc fit,vt ſicut concurſus voluntatis eſſe non poteſt,niſi ſimul cum concurſu auxilij præuenientis ſufficientis, ita vterque concurſus eſſe nequit,niſi cum actuali etiam eiuſque auxilij inhærentia in voluntate, cum qua debet propterea poſſe eſſe ſimul in ſenſu compoſito productio liberæ negationis volitionis homicidij iniuſti; & productio volitionis oppoſitæ, quia huiuſmodi productio à concurſu ſui principij adæquati non differt. Et quia in his immanentibus actibus productio idem eſt, ac eorumdem receptio in ſuo principio vitali; receptio etiam illius liberæ negationis, & receptio volitionis oppoſitæ volitioni homicidij, debet poſſe eſſe ſimul in ſenſu compoſito, cum inhærentia auxilij ſufficientis in voluntate. Ac propterea veriſſimum erit, oportere, vt Petrus poſſit auxilio prꝗuenienti conſentire in ſenſu compoſito, ſi auxilium illud verè ſufficiens eſt, quia oportet, vt ſimul cum eo habere poſſit effectum ad quem dicitur ipſum auxilium eſſe ſufficiens. Hoc ipſum explicatur, & confirmatur ampliùs, quia implicat contradictionem apertiſſimè. Vt voluntas per auxilium præueniens ſibi inhærens conſtituatur potens ad ſuum actum immanentem in ſenſu ſolùm diuiſo. Nam ſi per illud voluntas ſit potens, omninò poterit ſuum actum immanentem in ſe habere dependenter ab ipſo auxilio ſufficienti. Ac proinde ſimul eſſe poterit in ſenſu compoſito actus immanens voluntatis, atque huius actus dependentia ab auxilio ſufficienti inexiſtente ipſi voluntati, quod

neceſſa

neceſſariò oſtendit poſſe omnino eſſe in ſenſu cõpoſito in eadem voluntate auxilium illud ſufficiens, & actum ad quem dicitur ſufficiens. Si autem voluntas fit potens per auxilium in ſenſu tamen diuiſo. Non poſſunt ſimul eſſe vera hæc duo: Voluntas habet ſibi inhærens auxilium ſufficiens. Et habet actum ad quem illud auxilium eſt ſufficiens; ſed ſolùm poteſt eſſe vera hæc (voluntas habet actum, & non habet auxilium ſufficiens) hoc eſt habet actum independenter ab auxilio ſufficienti: fieri ergo voluntatem per auxilium ſufficiens potentem ad ſuum actum immanentem in ſenſu diuiſo, eſt ipſam poſſe habere illum actum dependenter, & non dependenter ab ipſo auxilio ſufficienti. Quod cùm implicet contradictionem ſatis patet ſufficiens auxilium omnino requirere, vt ſimul cum ipſo poſſit eſſe ille actus (propter quem alioqui fruſtra daretur ad quem dicitur ſufficiens quod eſt poſſe eidem in ſenſu compoſito conſentiri: manifeſta eſt igitur. Ex his, vt opinor; veritas illius maioris propoſitionis, hoc eſt, ſi Petrus eliciens volitionem omnino liberam homicidij iniuſti haberet auxilium verè ſufficiens ad abſtinendum ab huiuſmodi volitione, atque ad eliciendam liberam volitionem oppoſitam; poſſet huiuſmodi auxilio conſentire in ſenſu compoſito.

Iam redeamus ad minorem: ſed Petrus in inſtanti in quo peccat volendo liberè homicidium iniuſtum non poteſt auxilio ſufficienti, quod habet ad oppoſitum conſentire in ſenſu compoſito, id eſt non poteſt cum eo auxilio coniungere liberam negationem illius actus quo peccat, & actum poſitiuum oppoſitum: ergo non habet auxilium

verè

verè ſufficiens.

Minorem ſic probo, ſi Petrus in eo inſtanti,in quo peccat liberè volendo iniuſtum homicidium, poſſet cum auxilio ſufficienti ad non peccandum coniungere liberam negationem illius actus, quo peccat, & actum poſitiuum oppoſitum; poſſet in ſenſu compoſito non conſentire, imò etiam diſſentire motione efficaci phyſicè prędeterminati ad actum volitionis (quo peccat) quatenus actus eſt. Conſequens autem ab Aduerſariis admitti non poteſt. Ergo nec antecedens.

Sequela eſt euidens, quia, vt ſuprà poſuimus,in eodem inſtanti temporis, & naturæ ſimul eſt in Petro motio efficax phyſicè prædeterminãs ad entitatem volitionis homicidij iniuſti, & ſimul motio ſufficiens ad liberam eiuſdem volitionis negationem, atque ad volitionem oppoſitam. Ideò impoſſibile omnino eſt, vt aliquid eſſe poſſit ſimul in hoc inſtanti cum vna motione, quòd in eodem inſtanti nequeat eſſe ſimul cum alia. Nam hæc etiam propoſitio videtur eſſe certa certitudine Mathematica. *Quæ ſunt, aut eſſe poſſunt ſimul cum vno*; tertio in vno eodémque inſtanti (ita vt dum vnum in hoc inſtanti coexiſtit tertio; alterũ etiam in eodem inſtanti cum eodem tertio exiſtat) *ſunt, aut eſſe poſſunt in eodem inſtanti ſimul inter ſe.* Si ergo in quo inſtanti Petrus peccat liberè,volendo iniuſtum homicidium, poteſt ſimul eſſe cum motione ſufficienti quam habet, libera negatio illius volitionis qua peccat, & poſitiua volitio oppoſita. Eadem libera negatio, & poſitiua volitio poterit etiam eſſe ſimul cum motione,quam habent phyſicè prædeterminantem ad volitionem iniuſti homicidij,

cidij; quod formaliter eſt poſſe huic phyſicè prędeterminanti motioni non conſentiri, & diſſentiri in ſenſu compoſito.

Reſponſio cuiuſdam doctiſſimi viri proponitur, & reiicitur.

RESpondit mihi aliquando vir doctiſſimus eius opinionis ſectator, quam oppugnamus: Per accidens eſſe auxilio ſufficienti, quod Petrus habet in inſtanti, in quo peccat, vt cum eo ſit coniuncta motio phyſicè prædeterminãs ad entitatem actus peccati; quia hæc motio ab illo auxilio non exigitur, & propterea per accidens etiam eſſe in exemplo propoſito: Vt Petrus non poſſit ſuo auxilio ſufficienti in ſenſu compoſito conſentire. Satis tamen eſſe, vt poſſit quiſque conſentire in ſenſu compoſito auxilio ſufficienti non coniuncto cum phyſica prædeterminatione oppoſita.

Contra hanc tamen reſponſionem videntur vrgere plura. Primò enim contra illam eſt, quia vndecumque tandem proueniat, vt Petrus dum elicit volitionem homicidij iniuſti; non poſſit illam non elicere. Veriſſimum tamen erit ipſum non liberè velle, & non peccare contra id quod poſuimus. At verò vndecumque etiam oriatur, vt ſimul cum auxilio ad non peccandum coniungere nequeat, hîc, & nunc liberam negationem actus peccati; hoc ipſo fit, vt hîc, & nunc huiuſmodi negationem habere non poſſit pendentem ab auxilio ſibi inhærenti, ac proinde, vt hîc, & nunc auxilio careat verè ſufficienti, atque vt ab actu

peccati abſtinere non poſſit, vt conſtat ex dictis ſuprà.

Et ſanè quòd potentia ad conſentiendum auxilio ſufficienti in ſenſu compoſito impediatur non à natura auxilij, quod dicitur eſſe ſufficiens, ſed à prædeterminatione oppoſita ſimul exiſtente; ſolum probat, quod auxilium, quod dicitur ſufficiens, poſſet cum voluntate ſuum actum efficere, niſi adeſſet oppoſita prædeterminatio, quod tamen eandem prædeterminatione poſita præſtare non poteſt. Ex quo confirmatur quàm maximè tota hæc noſtra ratiocinatio, quia cùm actus producendus eſt in illis circunſtantiis, in quibus eſt aliqua vis in contrarium nitens; non eſt ſufficiens ad illum actum producendum, quod vim illam aduerſam ſuperare nequit. Cùm ergo auxilium gratiæ, quod dicitur ſufficiens Petro ad non peccandum ſuperare non poſſit efficaciam, & robur motionis phyſicè prædeterminâtis ad entitatem actus peccati; verè non eſt auxilium ſufficiens ad abſtinendum ab actu peccati, & non peccandum pro illis circunſtantiis, in quibus adeſt illa phyſica prædeterminatio. Nec refert quod hæc dicatur efficaciter mouere ad actum peccati, ſolùm quatenus actus, & ens eſt, non quatenus peccatum eſt. Quia Petrus cùm hîc, & nunc perfectam habeat cognitionem eorum omnium, quæ afficiunt actum, non aliter poteſt vitare peccatum, quàm ſimpliciter abſtinendo à productione illius entitatus actus, cum qua intrinſecè eſt connexa malitia moralis.

Secundò, contra eandem reſponſionem eſt, quia licet dici poſſit eſſe per accidens auxilio ſufficienti ad vnum motio efficax, & phyſicè prædetermi-

naus

nans ad oppoſitum. Tamen hæc coniunctio motionum ad oppoſita; quarum altera ſit phyſicè prædeterminans ſimpliciter, & abſque abdito potiùs dicenda eſt eſſe per ſe, quàm per accidens, tum quia eſt per ſe habita ratione propriæ cauſalitatis cauſæ primæ, & exigentiæ cauſæ ſecundæ liberæ, cui neceſſarius eſt concurſus phyſicè prædeterminans ad actum, quem elicit; & auxilium ſufficiens ad oppoſitum: tum etiam quia huiuſmodi coniunctio, non ſolùm vt plurimum; ſed etiam ſemper reperitur: imò neceſſariò reperitur quandocumque aliquis actus elicitur, vt patet ex dictis: quod non eſt in iis, quæ verè ſunt per accidens.

Tertiò denique contra eandem reſponſionem eſt; quia quod ait ſatis eſſe, vt poſſit quiſque conſentire in ſenſu compoſito auxilio ſufficienti non coniuncto cum phyſica prædeterminatione oppoſita, id eſt, extra limites difficultatis propoſitæ: & præterea eſt in ſe falſum. Primum patet, quia difficultas propoſita ponit, vt actus aliquis eliciatur: & vrget contra illud auxilium, quod ſufficiens dicitur ad non eliciendum. Quandocumque autem actus aliquis de facto elicitur, ſemper neceſſe eſt, vt adſit prædeterminatio phyſica ad illum, ſecundùm Aduerſarios, & conſequenter, vt auxilium ſufficiens ad liberam negationem illius actus coniunctum ſit cum phyſica prædeterminatione oppoſita.

Secundum verò, vt ſcilicet falſum etiam ſit conſentiri poſſe in ſenſu compoſito, auxilio ſufficienti, non coniuncto cum phyſica prædeterminatione oppoſita. Patet, quia non poteſt iuxta ſententiam Aduerſariorum eſſe vera hæc propoſitio (Petrus elicit

elicit volitionem, & non habet phyſicã prædeterminationem ad illam, ſed habet ſolum auxilium ad ipſam ſufficiens) ac proinde falſum eſt abſtrahendo etiam à phyſica prædeterminatione oppoſita, vt cum ſolo auxilio ſufficienti ad aliquem actum, poſſit ille actus coniungi: ſeu poſſit auxilio ſufficienti in ſenſu compoſito conſentiri.

Quod ſi dicas cum auxilio ſufficienti ad aliquem actum ſeiuncto à prædeterminatione ad oppoſitum, poſſe illum actum coniungi ſuperueniente prædeterminatione ad eũdem actum. Hoc non efficit, vt poſſit in ſenſu compoſito conſentiri auxilio ſufficienti, ſed vt conſentiri in eo ſenſu poſſit auxilio efficaci, & prædeterminationi: Imò ſatis oſtendit auxilium, quod dicitur ſufficiens, non eſſe per ſe ſumptum verè ſufficiens, quia ab eo ſimul cum voluntate (omni alio auxilio ſecluſo) actus pendere non poteſt: cùm non poſſit eſſe vera hæc propoſitio. Hic actus fit à voluntate cum ſolo illo auxilio ſufficienti.

Reiecta igitur hac reſponſione: noſtrum argumentum vndique ſatis confirmatum, maximum robur habere videtur ad oſtendendum in Aduerſariorum ſententia non dari auxilium verè ſufficiens: Quod ipſum.

Secundum argumentum contra ſententiam Aduerſariorum de diſtinctione auxilij ſufficientis, & efficacis.

PRæterea probatur, quia quando de facto actus producitur dependenter (vt putant Aduerſarij) à phyſica prædeterminatione, vel auxilio effi-

caci; cùm hoc in ſe ſit agens neceſſarium influit quantum poteſt. Vel ergo influxus prædeterminationis æqualis omnino eſt indigentiæ effectus, vel maior, vel minor: minor eſſe non poteſt, quia actus ille alioqui non produceretur. Quod eſt contra id quod poſuimus: neque etiã eſt maior, quia phyſica prædeterminatio ad actus naturales, eiúſque influxus exigitur (ſecundùm Aduerſarios) ab ipſamet natura cauſarum ſecundarum, & effectuum; A quorum tamen natura poſtulari non poteſt influxus, quo effectus non indigeat, quia nihil poſtulari poteſt fruſtrà; qua de cauſa influxus maior indigentia effectus, ſi non implicat cõtradictionem, vt putarunt nonnulli; ſaltem miraculoſus eſt, ac propterea in omni operatione admitti non poteſt ſine abſurdo. Reliquum ergo eſt, vt influxus phyſicè prædeterminationis æqualis omnino ſit indigentiæ effectus. Ex hoc autem videtur euidenter probari verè ſufficiens non eſſe illud auxilium, quod ab Aduerſariis appellatur ſufficiens. Nam illud auxilium non eſt verè ſufficiens per quod non poteſt eſſe tantus influxus, quantus eſt ille, quo indiget effectus, vt ſit: ſed per auxilium, quod Aduerſarij appellant ſufficiens, non poteſt eſſe tantus influxus, quantus eſt ille, quo indiget actus; ergo maior videtur per ſe nota; minor probatur: quia effectus indiget tanto influxu, quantus eſt ille, qui de facto eſt à phyſica prædeterminatione, vt patet ex dictis. Tantus autem influxus eſſe non poteſt per auxilium quod Aduerſarij dicunt ſufficiẽs, quantus de facto eſt à phyſica prędeterminatione, vel auxilio efficaci: quia per virtutem minorem non poteſt eſſe tantus influxus, quantus eſt à maiori

iori influente quantum poteſt: & auxilium ſufficiens eſt virtus minor, quàm phyſica prædeterminatio, atque auxilium efficax, cùm hoc (vt aſſerunt Aduerſarij) aliquam realem virtutem includat, qua ſufficiens careat: qua de cauſa modernus Auctor, qui nouiſſimè pro phyſica prædeterminatione ſcripſit, ait auxilium efficax multò maius auxilium eſſe, quàm ſit auxilium ſufficiens.

Tertium Argumentum.

TErtiò, principaliter auxilium quod Aduerſarij appellant ſufficiens non eſſe verè ſufficiens: Probatur, quia cum auxilio ſufficienti ſolùm, voluntas ſecundùm Aduerſarios infallibiliter numquam operabitur: cúmque huiuſmodi infallibilitatem eſſe velint independentem à præſcientia, qua præuiſum ſit arbitrium creatum non conſenſurum, concedunt, & concedere coguntur hanc infallibilitatem niti ſolùm in natura, & tali intenſione auxilij ſufficientis. Admittendum enim omninò eſt aliquod fundamentum infallibilitatis, ſiquidem hæc ad intellectum pertinet, qui tanquam potentia neceſſaria determinatur ab obiecto, & tunc infallibiliter cognoſcit, quando obiectum aliquod habet eſſe inuariabile. Qui ergo videt voluntatem cum auxilio ſufficienti tantùm, atque huius naturam penetrat, ac intenſionem, hoc ipſo videt in cauſa effectum non futurum: Ergo cauſa (ſiue in præſentia accipiatur ſolum auxilium ſufficiens, ſiue compoſitum ex ipſo, & voluntate) debet eſſe determinata ad eundem effectum non producendum iuxta doctrinam ſancti

Thomæ, de cognitione futurorum in cauſa p.p. q. 14. ar. 13. Nulla autẽ cauſa, vt inductione oſtendi poteſt determinata eſt ad aliquid non faciendum, niſi quia caret virtute ad illud ipſum faciendum neceſſaria: cùm enim virtus productiua ſit propter ipſum effectum producendum, ipſa ſi perfecta ſit, hoc eſt tanta, quanta requiritur, non poteſt contra ſuum finem habere determinationem ad non producendum; ac proinde non poteſt eſſe infallibiliter non futurum, id quod habet principium verè ſufficiens, & verè poſſibile eſt. Quod optimè confirmant verba illa Ariſt. 9. Meta. t. 8. vbi ait, *Manifeſtum eſt quod non poteſt verum eſſe, dicere, quod poßibile quidem eſt hoc: non tamen erit, alioquin quænam impoßibilia ſint; hoc modo fugiunt nos.* Auxilium ergo ſufficiens, vtpote determinatum ad non producendum effectum verè ſufficiens non erit. Cùm præſertim ſecundùm Aduerſarios creata voluntas quippe quæ indifferens eſt ad oppoſita prærequirat, vt operetur determinationem ad vnum, quam tamen determinationem auxilium ſufficiens ſecundùm eoſdem Aduerſarios tribuere nequit.

Quartum argumentum.

QVartò denique, vt idem probetur, recolendum eſt quod ſuprà diximus; in quocumque homine peccante reperiri ſecundùm Aduerſarios, dum peccat phyſicam prędeterminationem ad entitatem actus peccati, quatenus actus, & ens eſt; ſimul cum auxilio ſufficienti ad abſtinendum à productione eiuſdem entitatis. Quo fit, vt idem omnino

omnino actus, qui eſt conſenſus in ſenſu compoſito vni ex illis motionibus ad oppoſita, ſit diſſenſus alteri, & reſiſtentia ſimiliter in ſenſu compoſito. Hinc verò ſic argumentor. Quicumque peccat non poteſt vitare id per quod peccat: Ergo verè non habet auxilium ſufficiens ad implenda diuina mandata, & non peccandum: antecedens probatur. Quicumque peccat; peccat reſiſtendo actualiter auxilio Dei ſufficienti in ſenſu compoſito: hæc enim reſiſtentia culpæ tribuitur, & ob eam homines in ſacris literis increpantur, cum dicitur, vocaui, & renuiſtis, vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis: ſed quicumque peccat non poteſt non diſſentire, & non reſiſtere actualiter in ſenſu compoſito auxilio quod dicitur eſſe ſufficiens. Ergo quicumque peccat (contra tritum Auguſtini pronunciatum) in eo peccat, quod vitare non poteſt. Minor probatur, quia cùm omnis peccans, in quo inſtanti actum elicit malum, phyſicam prædeterminationem habeat ad illum actum vel ipſius entitatem. Non poteſt ille qui peccat ſecundùm Aduerſarios huic prædeterminationi non conſentire in ſenſu compoſito. Cùm ergo idem ſit (vt diximus) conſentire in ſenſu compoſito huic prædeterminationi, & diſſentire, vel reſiſtere in ſenſu compoſito auxilio ſufficienti. Veriſſimum erit, neminem eorum, qui peccant, poſſe non diſſentire, aut non reſiſtere in ſenſu compoſito auxilio Dei, quod dicitur ſufficiens: Atque ex his omnibus ſatis pro viribus probatum eſt non concedi ab Aduerſariis auxilium verè ſufficiens; quo ſublato præcepta Dei ſunt verè impoſſibilia, & ruit quicquid Concilium decernit in verbis, quæ retulimus.

Alia verba eiuſdem capitis xj. & argumenta ex illis deſumpta proponuntur.

Reliquum ergo iam eſt, vt alia verba eiuſdem cap. xi. perpendamus: ſunt autem illa. *Deus namque ſua gratia ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur.* His adiungi poſſunt alia non abſimilia, quæ habentur cap. 13. vbi dicitur. *Tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent, Deus enim (niſi ipſi illius gratiæ defuerint) ſicut cœpit opus bonum, ita proficiet operans velle, & proficere. Veruntamen, qui ſe exiſtimant ſtare, videant ne cadant, & cum timore, ac tremore ſalutem ſuam operentur, in laboribus, in vigiliis, in eleemoſynis, in orationibus, & oblationibus, in ieiuniis, & caſtitate: Formidare enim debent ſcientes, quod in ſpem gloriæ, & nondum in gloriam renati ſunt, de pugna, quæ ſupereſt, cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei gratia Apoſtolo obtemperent dicenti. Debitores ſumus non carni, &c.*

Hæc autem omnia videntur aduerſari quàm maximè opinioni, quam oppugnamus.

Primò enim ſi ea opinio vera eſt, tunc ſolùm operamur bonum, quando ſua gratia Deus ad illud operandum phyſicè nos prædeterminat, & priùs eſt ſaltem natura Deum deſerere nos phyſicam prædeterminationem ad bonum minimè conferendo, imò conferendo prædeterminationem ad entitatem actus oppoſiti: quam vt nos bonam operationem non eliciendo, aut eliciendo malam, Deum deſeramus. Ideò nec deſumus gratiæ, niſi quia illa nobis priùs deeſt, atque ita deeſt,

vt

vt loco ſui admittat phyſicam prædeterminationem ad entitatem actus mali, cum qua neque actum bonum, neque actus mali negationem coniungere poſſumus.

Secundò, in ea ſententia pro libera ſolùm voluntate Dei phyſica prædeterminatio datur ad actum bonum, atque ad entitatem actus mali. Ergò non omnes firmiſſimam ſpem collocare debent in Dei auxilio, ſed iure potiùs timere poſſunt, ne vbi ſtrenuè aliquandiu ſe geſſerint pro ſola Dei voluntate ſubtrahatur neceſſarium auxilium ad perſiſtendum in bono, & loco illius phyſica prædeterminatio ſuccedat ad entitatem actus mali; id quod de facto dicendum eſſet contigiſſe multis, quos nouimus poſt diuturnam vitæ ſanctitatem à recto tandem tramite receſſiſſe. Hæc autem quæuis verba ex Concilio relata deeſſent, per ſe ipſa tamen à fidelium omnium ſenſu abhorrent nimis. Quis enim ferre poſſit, ſi dicatur poſt eam Dauidis ſanctitatem, ob quam Deus ipſe teſtatus eſt ſe inueniſſe hominem ſecundùm cor ſuum, eidem Dauidi pro ſola Dei voluntate ſubtractum eſſe auxilium neceſſarium ad vitandum adulterium, atque homicidium, & prætereà inditam eſſe motionem huius naturæ, vt cum ea criminum illorum excluſionem coniungere nequiuerit?

Tertiò, in eadem Aduerſariorum ſententia nullus reſiſtit, aut reſiſtere poteſt prædeterminationi ad entitatem actus mali, coniungendo cum ea bonum actum oppoſitum malíve actus negationem. Multi tamen de facto reſiſtunt pugnæ carnis, Dæmonis, ac Mundi, coniungendo cum eorum conatibus actus oppoſitos & victoriam: Ergo magis for-

midare debent de Deo iuſtificati, ne tribuat illam phyſicam prędeterminationem ad entitatem actus mali, quam de pugna cum illis tribus hoſtibus.

Reſponſio Aduerſariorum ad argumentum allata proponitur, & pluribus reiicitur.

HIs omnibus reſponderi poteſt ex doctrina moderni atque inſignis Doctoris, qui nouiſſimè ſcripſit, hac ratione: ſi ille, qui à Deo non accipit auxiliũ efficax prædeterminans exiſtebat in peccato originali, vel mortali, deſeruerat iam Deum priùs per peccatum, vt patet: ſi verò erat in gratia conſtitutus. Ipſe priùs in genere cauſæ demeritoriæ deſerit Deum peccando, quàm Deus eum priuet auxilio efficaci. Nam ſi carentia auxilij efficacis conſideretur, vt ſimplex negatio pendet quidem à libera ſolùm voluntate Dei, & priùs eſt in hoc ſenſu, Deum non dare auxilium efficax, quàm hominem peccare, & demeritoriè expellere gratiam iuſtificantem, quam habebat. Si tamen eadem carentia efficacis auxilij conſideretur, vt priuatio, ſeu pœna peccati, in liberum arbitrium, vt in cauſam demeritoriam refertur. Et priùs eſt ſub hac ratione hominem peccare, quàm Deum non dare auxilium efficax, neque enim inconueniens eſt, vt idem reſpectu eiuſdem ſecundùm diuerſam rationem ſit prius, & poſterius. Atque hinc fit, vt homo præſtet impedimentum gratiæ efficaci præcisè, etiam per peccatum præſens, cùm ſcilicet à Deo excitatus reſiſtit vocationi diuinæ, & committendo peccatum impedit ſe ipſum, ne obtineat auxilium efficax, quod cum illo peccato eſt incompoſſibile.

Sed

Sed hæc reſponſio, quatenus attingit impedimentum peccati præcedentis, non affert generalem rationem, quare Deus ſubtrahat hominibus auxilium neceſſarium ad bonum: ſubtrahit enim illud Deus iuxta ſententiam Aduerſariorum etiam abſque peccato præcedenti, vt patet non ſolùm in iis, qui poſt remiſſionem ſuorum peccatorum actualium gratia iuſtificāti accepta iterum peccāt: ſed etiam in illis, qui ritè baptizati cùm primùm ad vſum rationis peruenerint, ſe ipſos non ordinant ad debitum finem: hi enim ex doctrina S. Tho. 1.2. quæſt. 89. art. vlt. peccant mortaliter, ac proinde carent auxilio efficaci, & neceſſario ad non peccandum, cùm tamen originalis eorum culpa per baptiſmum deleta fuerit, & anteà neque mortaliter, neque etiam venialiter peccauerint, vt docet S. Tho. loco citato.

Quatenus verò eadem reſponſio nititur impedimento cuiuſcunque peccati præſentis diſtinguendo ſimplicem negationem auxilij efficacis phyſicè prædeterminantis ab ipſius priuatione.

Contra illam eſt primò, quia eo ipſo quod ſimplex negatio auxilij phyſicè prædeterminantis priùs eſt ex libera ſolùm Dei voluntate, quàm homo peccet, priùs eſt etiam hominem deſeri à Deo, vtpotè poſitiuè non tribuente auxilium neceſſarium, quàm Deum deſeri ab homine per peccatum. Ex quo ſequi omnino videtur illud ipſum, quod ſuprà intulimus. Iuſtificatum ſcilicet firmiſſimam ſpem in diuino auxilio collocare non poſſe, ſed debere potiùs maximè timere de illius negatione, cùm à ſola Dei libera volitione pendeat, atque ita pendeat, vt phyſicam prædeterminatio-

nem ad oppoſitum ſemper habeat adiunctam. Nec vllus eam præuenire, aut à ſe remouere, vel cum ea bonum actum coniungere poſſit.

Alia eiuſdem reſponſionis oppugnatio.

SEcundò, contra eandem reſponſionem, eſt, quia carentia auxilij efficacis pro eo inſtanti naturæ, in quo conceditur antecedere actum peccati non poteſt dici non eſſe priuatio, ſed negatio ſimplex: quia eſt negatio formæ in ſubiecto apto. Quod ſi dicas ad priuationem, vt hîc accipitur non eſſe ſatis, vt ſubiectum aptum ſit recipere formam oppoſitam, ſed prætereà etiam requiri, vt forma ſit aliquo modo debita. In quo ſenſu pœna damni dicitur priuatio gloriæ, hoc eſt negatio gloriæ debitæ. Hoc videtur difficultatem non minuere, ſed magis, ac magis implicare: ſi enim auxilium efficax eo pacto eſt debitum homini, non eſt debitum ſimpliciter, & abſolutè (alioqui teneretur Deus ſemper illud conferre) ſed erit debitum conditionaliter, ſeu per ordinem ad aliquod opus hominis, ita vt priùs natura ſit huiuſmodi opus, quàm auxilij collatio. At cùm hoc implicat contradictonem, vt idem auxilium ſit neceſſariam principium cuiuſcunque operis humani: cúmque huiuſmodi auxilium neceſſarium ſit in inſtanti naturæ ante actum liberum, in hoc ipſo inſtanti erit debitum, nam in alio præſertim poſteriori non eſt vſui. At nullus hominis actus cõſiderari poteſt ante actum liberum, à quo aliqua ratione pendeat collatio auxilij diuini. Neque ratio illa debiti explicari poteſt, ita vt homo ipſe debitor (vt ita dicam) ſit ha-

bendi illud auxilium, eò quòd debeat non habere impedimentnm, neque actum peccati, vt auxilium conſequatur ad idem peccatum vitandum. Hoc (inquam) dici non poteſt, quia à productione, aut non productione actus peccati pendere non poteſt collatio huius, vel illius prædeterminationis, cùm ab actu ſecundo pendere nequeat actus primus, vel complementum illius.

Poſtrema eiuſdem reſponſionis oppugnatio.

Tertiò, contra eandem reſponſionem eſt, quia peccatum præſens nullo modo eſt cauſa, aut ratio, vt non conferatur hîc, & nunc auxilium efficax neceſſarium ad oppoſitum. Ergo nullo modo priuatio huius auxilij habet rationẽ pœnæ. Antecedẽs probatur, quia iuxtà ſententiã Aduerſariorum Deus abſoluto ſuo, atque efficaci decreto prędefiniuit & prædeterminauit, vt eſſet hic actus rig. liberæ volitionis vindictæ, quatenus actus eſt, priùs in ſigno rationis, quàm intellectus diuinus cognoſceret hunc eundem actum eſſe futurum etiam ex quacunque hipoſteſi. Atque eadem ratione ſtatuit pro hoc tempore, atque his circunſtantiis conferre prædeterminationem intrinſecam, & inhærentem ad eundem actum quatenus actus eſt, homini illum elicienti, quia eo modo prædefinit quicquid eſt in tempore: & prætereà, quia ex prædeterminatione extrinſeca per euidentem conſequentiam infertur phyſica prædeterminatio intrinſeca ad idem, vt tradunt ipſimet Aduerſarij. Quæ intrinſeca prædeterminatio ad actum liberæ volitionis vindictæ, quatenus actus eſt, incompoſ-

ſibilis

ſibilis eſt omnino cum auxilio efficaci ad implendum præceptum eo 'actu violatum. Priùs ergo quàm Deus quidquam videret de actu hoc, quo præceptum violatur, & propterea nulla habita ratione huius peccati adhuc incogniti, ſtatuit ex mera ſua voluntate conferre huic homini aliquid incompoſſibile cũ auxilio efficaci neceſſario ad bonum; In quo decreto includitur etiam decretum de non conferendo illud auxilium efficax neceſſarium. Ergo cauſa, & ratio quare in tempore non conferatur hoc auxilium neceſſarium, & prædeterminans eſt ſola voluntas Diuina; nullatenus autem ipſum peccatum.

Atque ex his patet quamuis aliquando idem poſſit eſſe prius, & poſterius reſpectu eiuſdem ſecundùm diuerſam rationem, vt in illa reſponſione dicebatur: non tamen fieri poſſe, vt negatio auxilij efficacis prædeterminantis ſimul ſit in ratione negationis prior actu peccati, & poſterior eodem in ratione pœnæ: quia pœna in recto importat malum aliquod connotando culpam præcedentem, ad quam puniendam infligatur illud malum: In propoſito autem quicquid eſt mali, eſt carentia phyſicè prædeterminãtis auxilij ad actum bonum, pro eo ſigno rationis, quod antecedit ſignum aliud, in quo ipſemet actus bonus deberet eſſe. Tunc enim duntaxat eſt malum illo auxilio carere quando ipſum vſui eſſe poteſt. Illa ergo carentia auxilij prædeterminantis, vt eſt in inſtanti rationis poſt actum peccati, non eſt pœna, quia vt ſit non importat aliquod malum. Vt verò eſt in inſtanti ante actum, quia connotare non poteſt (vt euidens eſt) culpam, præcedentem rationem

nem pœnæ habere nequit. Ergo tantum abeſt, vt in ratione pœnæ ſit poſterior actu peccati, vt nullam etiam pœnæ rationem habere poſſit, ſiue ante actum peccati, ſiue poſt illum. His addi poteſt, quod phyſica prædeterminatio ad entitatem actus peccati nulla ratione eſt poſterior illo. Ex quo videtur ſequi, vt Deus in ſententia Aduerſariorum non ſolùm priùs deſerat nos, quàm à nobis deſeratur: ſed etiam vt priùs aliquid moliatur nobis pernicioſius: cùm ex libera ſua voluntate tribuat poſitiuum impulſum ſeu motionem, cum qua peccati fugam coniungere non poſſumus.

CAPVT VI.

Argumenta pro ſecunda ſententia ex eadem ſeſſ. 6. Can. 4.

CAnon quartus totus ob oculos ponendus eſt, quia totus mirificè nobis fauere videtur; ſic igitur habet.

Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti quoad obtinendam iuſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet: neque poſſe diſſentire ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, meréque paſſiuè ſe habere; anathema ſit.

Cum hoc canone coniungenda ſunt verba illa cap. 5. Quorum vim in hunc locum reiicimus expendendam.

Sunt autem illa. *Declarant prætereà*, nimirum Sancta Synodus, *ipſius iuſtificationis exordium in adultis*

adultis à Dei per Chriſtum Ieſum praueniente gratia ſumendum eſſe hoc eſt ab eius vocatione,qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, vt qui per peccata à Deo auerſi erant per eius excitantem,atque adiuuantem gratiã ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem eidem gratia liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur:ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem,neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens:quippe qui illam,& abiicere poteſt, neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poßit.

Hoc loco ponendum eſt primò damnari à Concilio his verbis hæreſim Caluini cum actuali arbitrij noſtri libertate pugnantem in actibus ex gratia manantibus.

Agnoſcit hoc Caluinus ipſe in Antidoto in hunc Canonem quartum, & caput quintum (quod apud ipſum eſt ſextum) vt videre eſt in verbis ipſius à Ruardo Tapero relatis articulo ſeptimo. In reſpon.ad argumenta Caluini contra liberum arbitrium pag.mihi 241.& deinceps. Vbi Tridentini Patres nominatim oppugnantur.

Hoc ipſum cum aliis omnibus Catholicis fatentur etiam Aduerſarij,pręſertim verò Modernus ille Doctor,cuius ſuprà meminimus.

Ponendum ſecundò Caluinianam hanc hæreſim in eo conſtitutam fuiſſe quod contra antiquum totius Eccleſiæ ſenſum Caluinus in Inſtitutione euomit apud Ruard.Tap.art.ſeptimo citato, pag. 240.

Voluntatem(inquiens) *mouet gratia non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum, vt noſtræ poſteà ſit electionis motione obtemperare, aut refragari;*

ſed

ſed illam efficaciter efficiendo.

Quam eadem hæreſim damnatam in Tridentino agnoſcens, dum confirmare conatur, vt diximus in Antidoto apud Ruard. loco ſuprà citato, pag. præſertim 246. Eadem ferè verba repetit, dum ait. *In eo hallucinantur* (Patres) *quod motum nobis offerri ſomniant; qui mediam electionem nobis relinquat: nihil autem de efficacia illa cogitant, quæ cor hominis renouatur, vt ex prauo fiat rectum.* Hæc poſitio noſtra his ipſis Caluini verbis ſatis probata nulla confirmatione videtur indigere.

Ponendum tertiò Caluini controuerſiam in propoſito cum Catholicis fuiſſe de gratia efficaci; expreſsè enim hoc cernitur in verbis, quæ retulimus. Hinc autem fit, vt Concilium docens, poſſe nos gratiam abiicere illíque diſſentire intelligendum ſit non ſolùm de gratia ſufficienti: ſed etiam de efficaci. Id, quod ipſi etiam Aduerſarij concedunt; & quidem meritò. Nam alioqui Caluino Concilium non contradiceret.

His ita conſtitutis illud ex verbis Concilij relatis primo loco animaduertendum occurrit. Quod dum cap. 5. negatur liberum hominis arbitrium tactum gratia illa; quæ de facto ſortitur effectum nihil omninò agere inſpiratione recipiens: non tribuitur arbitrio influxus duntaxat in genere cauſæ efficientis. Tum quia huiuſmodi influxus concurrunt ad ſuas actiones minimè liberas pueri, Amentes, & Bruta (imò etiam ſerra effectiuè concurrit ad ſiſſionem abſque vllo prorſus veſtigio libertatis) tum etiam, quia effectiuus concurſus à Caluino ipſo voluntati noſtræ conceditur, dum in Antidoto apud Ruard. Tap. art. 7. citato pag.

237. eidem

237. eidem conceditur concurſus ſpontaneus, qui non à violẽta vel extraria coactione pendeat, ſed ab affectione animi propentiſſima, & propriæ libidinis motu. Concurſus ergo qui arbitrio tribuitur à Concilio ille eſt, qui eſt proprius actus liberi, quíque à Caluino negatur, dum electio inter media nobis à gratia efficaci relinqui negatur: hoc eſt concurſus electiuus in differentiam ſui principij prærequirens. Nam ſi de alio concurſu Concilium loqueretur, præterquam quod Caluino non contradiceret. Malè etiam probaret hominem agere inſpirationem recipiendo, ex eo quòd illam abiicere poſſit. Et malè concluderet ex actione à ſe aſſerta, nos præditos eſſe libertate, cuius in ſacris literis poſſimus admoneri: At verò ſi inſpiratio, ſeu gratia, quæ de facto eſt efficax inter ſe ipſam, & aſſenſum, mediam nobis electionem relinquit: perſpicuum eſſe videtur per eam nos phyſicè non prædeterminari ad aſſenſum. Electio enim non eſt à principio determinato ad vnum: ſed ab indeterminato ad plura, vt optimè docet S. Thom. 12. q. 13. ar. 2.

Secundò animaduertendum eſt, ſi Concilium cum docet liberum arbitrium à Deo motum, atque excitatum, motione, atque excitatione diſſentire, ac inſpirationem abiicere poſſe: ita intelligendum ſit, vt eidem numero entitati, ac reali virtuti gratiæ, quæ de facto habet effectum diſſentiri poſſit in ſenſu compoſito: nullum ampliùs locum relinqui. Primæ opinioni, quippe quæ illud ipſum (vt ſcilicet Concilium ſit in eo ſenſu intelligendum) in terminis neget; Et gratiam præterea quæ eſt efficax ex natura ſua phyſicè aſſerat prædeterminare: Quo poſito potentia illa ad diſſentiendum in ſenſu compoſito

poſito eſt omninò impoſſibilis. Vt igitur oſtendamus conſilium eo pacto intelligendum eſſe. Recolenda eſt notio ſenſus diuiſi, & compoſiti quam ipſorum Aduerſariorum verbis explicuimus, cap. 1. Ab ea enim notione hactenus non aberrauimus, neque aberrabimus in poſterum: ac proinde nomine ſenſus diuiſi ſemper intelligemus ſimultatem potentiæ; ita vt cùm arbitrium motum dicitur poſſe in ſenſu tantùm diuiſo habere actum motioni oppoſitum: ſenſus ſit, vt arbitrium ſimul cum motione prædeterminanti ad actum bonum potentiam retineat, quæ poſſit actum malum elicere, non coniungendo tamen illum ſimul cum motione ad actum bonum: nomine verò ſenſus compoſiti intelligemus potentiam ſimultatis; ita vt verè poſſit in ſenſu compoſito voluntas diſſentire motioni ad aliquem actum, ſi ſimul non quidem cum eo actu, ſed cum præuia motione ad illum actum poſſit habere eiuſdem actus negationem; & actum oppoſitum: Præterea ſtatuendum eſt ſenſum diuiſum, & compoſitum conſiderari poſſe, tum in illis propoſitionibus, in quibus enunciatur potentia cum aliquo poſitiuo. Vt cum dicitur voluntas mota hac vel illa gratia poſſe hunc, vel illum actum facere, aut non facere, tu etiam in illis, in quibus enunciatur potentia cum formæ alicuius negatione: qua de cauſa propoſitionem hanc (ſine prædeterminatione nihil velle poſſumus) diſtinguit inſignis Doctor ex Aduerſariis qui nouiſſimè ſcripſit. Vt in ſenſu compoſito vera ſit, (quia non poſſunt hæc duo ſimul eſſe vera: vt, ſcilicet, nos velimus in particulari aliquid; & Deus non prædeterminauit, vt velimus illud) in ſenſu autem diuiſo, ſit vera. Qui-

bus ita conſtitutis, illud iam deducendum eſt: vt, ſcilicet, Concilium docens poſſe nos gratiæ, quæ de facto eſt efficax, diſſentire; illamque abiicere: intelligendum ſit in ſenſu compoſito. Quod probatur.

Primum argumentum quo probatur Concilium loqui de potentia diſſentiendi in ſenſu compoſito.

PRimò, quia Concilium in hac ipſa ſeſſ. 6. propoſitiones alias (ſiue per illas enuncietur voluntas cum gratiæ negatione, ſiue cum gratia, vel alia poſitiua diſpoſitione) ſemper vſurpauit in ſenſu compoſito: Ergo in eodem etiam ſenſu dicendum eſt vſurpaſſe illam: liberum arbitrium à Deo motum, ac excitatum poteſt gratiæ diſſentire, atque inſpirationem abiicere. Antecedens patet, quia declarat can. 2. hominem ſine gratia iuſtè viuere, & vitam æternam promereri non poſſe, can. 3. ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio hominem non poſſe credere, ſperare, diligere, aut pœnitere, ſicut oportet can. 22. ſine ſpeciali Dei auxilio non poſſe hominem perſeuerare vſque in finem can. 23. Omnia peccata etiam venalia ſine ſpeciali Dei priuilegio vitari non poſſe. Quæ omnia conſtat intelligi in ſenſu compoſito, ita vt cum illa gratiæ inſpirationis, & ſpecialis auxilij, ac priuilegij negatione actus illi coniungi nequeant: nam quòd homo illis ipſis donis ſpoliatus poſſit actus illos habere in ſenſu diuiſo; nulli dubium; cùm homo ex ſe habeat potentiam per quam poſſit ad illos actus concurrere, non coniungendo concurſum cum eorum donorum negatione,

gatione, hoc eſt, coniungendo illum cum ipſa forma negationi oppoſita.

Declarat prætereà idem Conc. cap. 14. Eosqui ab accepta iuſtificationis gratia per peccatum exciderint rurſus iuſtificari poſſe cum excitante Deo per pœnitentiæ ſacramentum merito Chriſti amiſſam gratiam recuperare procurauerint cap. 15. omnes qui lethalia committunt peccata,ab illis cum diuinæ gratiæ adiumẽto abſtinere poſſe can. 28. Iuſtificatum in accepta iuſtitia cum ſpeciali Dei auxilio perſeuerare poſſe can. 23. Ex ſpeciali Dei priuilegio venialia omnia poſſe vitari. Atque hæc etiam, exploratiſſimum eſt, intelligenda eſſe in ſenſu compoſito. Non ſolùm enim fieri poteſt, vt hæc ſimul vera ſint; vt, ſcilicet, quis excitetur à Deo, & curet amiſſam gratiam recuperare, vel vt perſeueret, & habeat ſpeciale Dei auxilium, vel denique vt abſtineat à mortalibus, & venialibus omnibus, & habeat gratiæ adiumentum, aut ſpeciale priuilegium: ſed præterea ſinguli illi effectus abſque ſingulorum donorum cõſortio nulla ratione eſſe poſſunt. Ex his igitur manifeſtum eſt veriſſimum eſſe illud Antecedens, vt, ſcilicet, aliæ propoſitiones liberam potentiam cum aliquo poſitiuo,aut aliqua negatione enunciantes vſurpatæ ſint à Concilio in ſenſu compoſito. Conſequentia verò, qua inferebamus intelligendam etiam eſſe in ſenſu compoſito propoſitionem, qua dicitur liberum arbitrium gratia motum illi diſſentire, eámque abiicere poſſe. Probatur tum ex iam oſtenſa conſuetudine Concilij no aliter vſurpandi huiuſmodi propoſitiones,quàm in ſenſu cõpoſito; tum etiam quia æquiuocaſſet alioqui non ſine magna erroris occaſione

in duobus verbis. Quod enim cap. 5. docet hominem ſine gratia non poſſe ad iuſtitiam ſe mouere; habet ſenſum compoſitum; eò quòd cum illa negatione gratiæ coniungi nequeat motus ad iuſtitiam. Quod verò ibidem ſubdit, hominem diuina inſpiratione tactum, poſſe illam abiicere: ſenſum haberet diuiſum. Quæ ſanè æquiuocatio in vſurpatione potentiæ ad errorem inducendum eo eſſet aptior; quia alibi in eadem ſeſſ. in ſimili negatiua, & affirmatiua à ſe inuicem non diſtantibus idem ſenſus compoſitus retentus eſt; vt patet can. 22. Cùm dicitur homo non poſſe in accepta iuſtitia ſine ſpeciali Dei auxilio perſeuerare: & rurſus cum eo poſſe. Et ſimpliciter, Can. 23. dum dicitur, Non poſſe quemque ſine ſpeciali Dei priuilegio venialia omnia vitare: Cùm eo vero vnumquemque id poſſe. Hæc enim omnia, vt ex dictis patet, ſenſum duntaxat compoſitum habere poſſunt.

Huc accedit quod Concilium ad conſulendum ipſis etiam indoctis ne amplius hæreticorum verſutia ſeducerentur: atque ad os obſtruendum calumniatoribus, quos in foribus habere ſe non ignorabat: omnem verborum improprietatem, obſcuritatem, atque ambiguitatem de induſtria vitare debuit, & voluit, vt egregiè teſtantur apertiſſimæ PP. voces in actis à me perlectis eiuſdem Cõcilij: ac proinde in eo tantùm ſenſu verba, & propoſitiones vſurpare potuit, in quo vſurpantur ex communi loquendi conſuetudine. Hanc verò ſi reſpicias; non alium ſanè, quàm compoſitum ſenſum habere fateberis, propoſitionem, de qua agimus; inſtar aliarum ſimilium. Cùm enim dicimus

homi

hominem ad aliquid volendum, faciendúmve illectum, inuitatum, rogatum, aut ſuaſum poſſe allicienti, & roganti: aut precibus, & ſuaſione diſſentire ſemper (vt notiſſimum eſt) hæc intelligimus in ſenſu compoſito, ita vt precibus, & ſuaſione, & cum omni eo, in quo actus alliciendi, atque inuitandi conſiſtit, poſſit actualis diſſenſus coniungi. Idem planè iudicium eſt de propoſitione; qua dicitur homo à Dæmone tentatus poſſe tentationi diſſentire, eáque expellere: ac de aliis quibuſcumque ſimilibus. Ridiculus enim omnino videretur, qui ex eo, quaſi à poſteriori colligeret virum aliquem conſtantiſſima pietate præditum eſſe. Quia tentatus grauiſſima quaque tentatione poteſt illi in ſenſu diuiſo facilè diſſentire, aut vrbem aliquam optimis ad ſui defenſionem præſidiis munitam eſſe: quia obſeſſa quantumuis diuturna, ac alioqui periculoſa obſidione poſſet eam in ſenſu diuiſo ſuſtinere ſine deditione. Ex quo liquidò apparet ſenſum compoſitum huiuſmodi propoſitionibus deberi ex omnium ſententia, cùm ſimpliciter proferuntur: quia cum ſimpliciter, hoc eſt, ſine ſenſus diuiſi expreſſione proferuntur; approbantur ab omnibus: prolatæ autem cum expreſſione ſenſus diuiſi ab omnibus reiiciuntur.

Confirmatur, quia alioqui ſi huiuſmodi propoſitiones ſimpliciter prolatæ intelligerentur in ſenſu diuiſo: propoſitio hæc; Beati videntes Deum poſſunt illum odiſſe, veriſſima eſſet: retinet enim Beatus potentiam, per quam actum odij Dei elicere poſſit, non coniungendo illum cum beatifica viſione, ac propterea negatiua oppoſita abſque vllo addito eſſet falſa. Idemque eſset de illa confirma-

tus in gratia poteſt peccare mortaliter imò hæc etiam veriſſima eſſe intelligeretur abſque vlla explanatione (& oppoſita eius falſa ſimpliciter) nimirũ, voluntas humana Chriſti coniuncta mediante humanitate cum ſuppoſito diuino, & à diuina voluntate efficaciter directa poteſt liberè ſe determinare ad actum intrinſecè malum, quæ tamen omnia ſatis abhorrent à communi Catholicorum ſenſu.

Secundum argumentum.

SEcundò, Concilium intelligendum eſſe in ſenſu compoſito, Probatur; quia non imitaretur alioqui vſum loquendi ſacrarum literarum. Cum enim Deo dicitur. Eſther. 13. Non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ, & Iob. 9. Deus cuius iræ nemo reſiſtere poteſt, & Iob. 41. Quis reſiſtere poteſt vultui meo? Hæ ſanè propoſitiones perſimiles illi, de qua diſputamus, compoſitum ſenſum habent. Nam id certum videtur, vt, ſcilicet, poſſit reſiſti voluntati diuinæ etiam efficaci in ſenſu diuiſo eo modo, quo Aduerſarij dicunt in ſenſu diuiſo eidem poſſe diſſentiri: ſicut enim liberum arbitrium ſub extrinſeca, atque intrinſeca prædeterminatione (ſecundùm Aduerſarios) retinet potentiam, per quam poſſit actum oppoſitum producere, non coniungendo ipſum cum illis prædeterminationibus: atque hac de cauſa poteſt illis prædeterminationibus in ſenſu diuiſo diſſentire. Ita etiam retinet eodem modo potentiam, per quam conari poſſit in oppoſitum eius quod vult voluntas diuina efficax, non coniungendo cum tali voluntate conatum,

conatum, ac propterea poteſt eidem voluntati etiam reſiſtere in ſenſu diuiſo.

Refellitur quædam reſponſio.

NEque valet, ſi dicas non eſſe eandem rationem de potentia diſſentiendi voluntati diuinæ; ac de potentia eidem reſiſtendi: quia reſiſtere importat ex ſua formali ſignificatione quandam renitentiam, quam actus diſſentiendi non includit. Non, inquam, valet: nam in propoſito actus diſſenſus, & reſiſtentiæ nullatenus differunt; gratiæ namque diuinæ, ac diuinæ voluntati diſſentiendo reſiſtimus; & reſiſtendo diſſentimus. Patet, cùm quis gratiæ ſufficienti diſſentit; & conſequenter voluntati diuinæ antecedenti: tunc enim eidem gratiæ & voluntati reſiſtit, & non per alium actum, quàm per illum ipſum quem diſſentit. Hinc in ſacris literis repulſa, quæ ab improbis datur gratiæ Dei ſignificatur aliquando nominibus importantibus diſſenſum. Vt cùm dicitur vocaui, & renuiſtis: aliquando verò nominibus importantibus reſiſtentiam. Vt cùm dicitur, Vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis. Hinc etiam S. Anſelm. in Matth. cap. 6. ſuper illis verbis fiat voluntas, vt explicaret potentiam diſſentiendi, quam S. Paulus retinuit ſimul cum efficaciſſima ſua vocatione, ait. *In Paulo tamen videtur cogens voluntas Dei; ſed non eſt; quia licèt ſit percuſſus: tamen voluntas erat libera, vt reſiſteret ſi vellet.* Hinc denique illud, quod hîc declarat Concilium Tridentinum, dum ait poſſe nos gratiæ diſſentire. In Concil. Senonen. decreto fidei 15. exprimitur illis verbis. *Nec denique tale ſit*

huiuſmodi trahentis Dei auxilium, cui reſiſti non poſſit. Vbi (vt hoc obiter dicamus) certum videtur Concilium Senonen. loqui in ſenſu compoſito (quicquid dicant Aduerſarij) quia potentiam illam ad reſiſtendum affert (vt patet ex Contex.) vt probet virtute illius trahentis gratiæ nos ineuitabiliter non trahi ad quod tamen probandum inepta eſt prorſus potentia ad reſiſtendum in ſenſu diuiſo, vt conſtare etiam poterit ex ſequentibus.

Tertium Argumentum.

TErtiò, Probatur illud ipſum, vt ſcilicet Conc. Trid. intelligendum ſit in ſenſu compoſito, quia cùm docet hominem à Deo motum; atque excitatum poſſe gratiæ diſſentire, eamque abiicere explicat, & oſtendit vſum libertatis, quem obtinet homo in actibus ſupernaturalibus, vt conſtat præſertim ex modo loquendi cap. 5. ibi. *Quippe qui illam, & abiicere poteſt*: particula enim (quippe) indicat potentiam abiiciendi; probare noſtram libertatem in illis actibus. At ſi Concilium in ſenſu diuiſo loqueretur, vſum libertatis noſtræ nullatenus explicaret. Cùm enim in Aduerſariorum ſententia requiratur phyſica prædeterminatio non ſolùm ad actum bonum, ſed etiam ad totam entitatem actus mali priùs natura quàm is eliciatur. Poſſe hominem motum atque excitatum gratiæ, & motioni diſſẽtire in ſenſu diuiſo, nihil eſt aliud, niſi; Hominem cùm mouetur, ac excitatur, potentiam ſimul cum motione retinere, per quam mediante oppoſita prædeterminatione actum motioni quam habet oppoſitum, ita elicere queat, vt

cum

cum eadem ipſum non coniungat. Quod rurſus nihil eſt aliud, niſi hominem phyſicè prædeterminatum ad vſum: poſſe in ſenſu diuiſo phyſicè prædeterminari ad oppoſitum. Per hæc verò tantum abeſt vt explicetur, ac probetur libertas, vt nihil etiam dicatur quòd pugnet aut cum vera neceſſitate, aut cum maxima etiam coactione. Neceſſitas enim omninò poteſt in ea potentia reperiri, quæ ad oppoſita ſe habeat, mediante receptione oppoſitorum impulſuum, ſeu motionum, cùm quarum neutrà coniungere poſſit contrarium actum. Imò huiuſmodi potentiam ad oppoſita mediantibus impulſibus concupiſcentiæ, & gratiæ vna cum vera neceſſitate tribuit Caluinus (vt infrà videbimus) voluntati noſtræ: In quo non ſecum ipſe, ſed cum fide catholica pugnat. Quod verò ne coactioni quidem repugnet potentia ſe habens ad oppoſita mediantibus oppoſitis motionibus patet in eo; qui trahitur inuitus à potentiori ad aliquem locum: ſimul enim cum hoc motu coacto retinet potentiam, per quam ſuperueniente oppoſita actione mouentis in locum oppoſitum pari coactione ferri poſſit.

Confirmatur, quia fieri non poteſt, vt aliqua motio voluntatis creatæ nullam qualitatem, aliúmve terminum producens (vt de phyſica prædeterminatione tradunt expofeſsò Aduerſarij ratione ſui eſſe incompleti, & realis virtutis, quam ex natura ſua includit, ſit talis, vt neceſſaria omninò ſit ad actum, & cum ea coniungi nequeat actus oppoſitus. Et tamen libertatem illiúſve vſum non tollat. Nam ſi huiuſmodi motio (vt aiunt) virtuoſa in aliquo ſigno naturæ, ſeu rationis abſoluitur priùs

quàm ſit productio actus voluntatis, prioritate in quo: & propterea in ſuo fieri non includit fieri eiuſdem actus: neque fieri huius includit fieri illius. Nulla ſanè videtur eſſe ratio quare adeò neceſſaria ſit hæc motio, vt ipſius influxus de potentia ſaltem abſoluta à ſolo Deo eſſe non poſſit: cùm ipſa ſit virtus quædam, & cauſa creata, atque ex S. Tho. p. p. quæſt. 105. ar. 2. Erroneum ſit dicere Deum non poſſe facere per ſe ipſum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quancumque cauſam creatam. Neque enim videtur explicari poſſe quo modo habeat vim phyſicè prædeterminandi: ſiquidem cùm prior ſit actu voluntatis ſecundùm totum ſuum eſſe: ab eo nullatenus pendet, ac proinde eſſe poteſt etiam ſi actus poſteà non ſequatur. Qui ſaltem poterit non ſequi ex eo quod Deus in poſteriori ſigno ſuſpendat concurſum ſimultaneũ cum illa motione, & voluntate: quem concurſum Aduerſarij non negant, neque negare poſſunt ſine lapſu in ſententiam Durandi de Operatione cauſarum ſecundarum abſque concurſu Dei: ab ipſis etiam communiter reiectam. Quod ſi dicas ita eſſe connexum actum voluntatis cum illa motione, vt hoc ipſo, quod Deus motionem producit, non poſſit non præſtare, quicquid eſt neceſſarium ad actum: hoc ſanè videtur nõ aliter eſſe poſſe; niſi quia entitas illius motionis virtuosè proportionaliter ſe habeat ad actum voluntatis creatæ, ſicut ſe habet entitas motus localis ad exiſtẽtiam ſucceſſiuam mobilis in ſpacio maiori ſe: quæ entitas motus non eſt prior prioritate in quo, ſed ſolùm prioritate à quo illa exiſtentia in ſpacio maiori: quia fieri illius motus eſt aliquo modo ipſum fieri.

huius exiſtentiæ ac proinde eſſentiæ illius rei,quæ eſt motus localis, repugnat coniungi cum ſua exiſtentia in rerum natura,niſi ſimul in eodem inſtanti naturæ in quo,ab ipſa pendeat exiſtentia ſucceſſiua mobilis in ſpacio maiori. Si autem hoc pacto ſe habet phyſica prædeterminatio ad actum voluntatis, nulla maior in voluntate libertas videtur ſupereſſe, quàm in quocumque localiter motu ab extrinſeco : ſi enim actus voluntatis ita pendet à motione virtuoſa,ſeu prædeterminatione,vt huius fieri (quod à libera tantùm voluntate Dei ortum ducit)eſſentialem habeat connexionem cum productione illius,non apparet ſanè quomodo ſub libertatem hominis (poſita prædeterminatione)cadere poſſit ; cùm quæ connexa ſunt, cum rei alicuius eſſentia poſita illa re, neceſſariò ſequantur.

Quartum Argumentum.

QVartò ; probatur Concilium intelligendum eſſe de potentia ad diſſentiendum in ſenſu compoſito : quia alioqui non contradiceret Caluino,Caluinus enim in Inſtitutione,vt ſuprà retulimus ex Ruard.Tap. ar.7.pag.240.ait, *Voluntatem mouet gratia non qualiter multis ſeculis traditum eſt, & creditum, vt noſtræ poſteà ſit electionis motioni, aut obtemperare,aut refragari.* Quæ repetit poſtea etiam in Antidoto,vt videbimus infrà.Quamobrem hæretica propoſitio Caluini eſt hæc negatiua(Voluntas mota à gratia , quæ eſt efficax non poteſt illi refragari,ſeu diſſentire, eámve abiicere) cui Concilium vt contradicat affirmatiuam oppoſitam pronunciat:iam ſic argumentor. Vel propoſitio

nega

negatiua Caluini ab ipſo intellecta fuit in ſenſu diuiſo, ita vt negauerit voluntati potentiam ad diſſentiendum in ſenſu diuiſo gratiæ, quæ de facto eſt efficax. Vel intellecta fuit in ſenſu compoſito, vt potentiam negauerit ad coniungendum diſſenſum gratia. Non primum quia iuxta hæreſim Caluini voluntas eſt talis potentia, vt cùm habet gratiam, quæ eſt efficax, actum bonum illi obſequendo neceſſariò eliciat (vt patet ex verbis paulò antè relatis, & patebit ampliùs ex iis, quæ infrà referemus) cùm verò ea gratia caret concupiſcentiæ ex neceſſitate obtemperando, actum oppoſitum neceſſariò eliciat, vt ea teſtantur, quæ refert Ruard. Tap. ait, 7. cit. pag. 237. Ex eodem Caluino in Antidoto, vbi loquens de homine in ſtatu naturę lapſę, ait eum. *Quà eſt naturæ prauitate non poſſe niſi ad malum moueri, & agi.* Cùm ergo Caluinus, ne ſomniauerit quidem, vt per gratiam, quæ eſt efficax, tollatur entitas potentiæ voluntatis; quæ cum actibus oppoſitis coniungitur, omnino voluit cum gratia efficaci manere potentiam, quę actum illi oppoſitum: ſed cùm ea non coniunctum habere poſſit, imò, quæ non poſſit illum non habere, quatenus à gratia efficaci ſeiunctus haberi poſſit. Quò fit, vt nullo modo negauerit potentiam ad diſſentiendum in ſenſu diuiſo: ſi verò dicatur ſecundùm propoſitionem, ſcilicet, Caluini ab eo intellectā fuiſſe in ſenſu compoſito. Quis non videat Caluino minimè contradicere Concilium niſi propoſitionem ſuam intelligat in ſenſu compoſito? Nimis enim tritum eſt, contradictorias non eſſe propoſitiones illas, quarum altera aliquid in vno ſenſu affirmat; altera verò id in alio ſenſu negat.

Con

Contradictionem autem inter propoſitiones illas Concilij, & Caluini agnoſcunt non modò Aduerſarij cum cæteris catholicis, vt ſuprà indicauimus, ſed etiam ipſemet Caluinus in Antidoto pluribus in locis, vt videre eſt apud Ruard.ar.7. ſępiùs citato apud quem pag. 242. loquens de Patribus Concilij Triden.ait: *Sed in quo hominem Deo ſocium adiungunt? quia gratiam Dei, quam repudiare poſſet, liberè recipit, & Spiritus ſancti illuminationem: quantum ex Dei virtute detrahunt, quæ à Propheta deſcribitur. Dabo* (inquit) *legem meam in cordibus veſtris.* Et rurſus ibidem pag. 246. *In eo* (ait Caluinus) *hallucinantur quòd motum nobis afferri ſomnient, qui mediam electionem nobis relinquat, Nihil autem de efficacia illa cogitant, qua cor hominis renouatur.* Denique pag. 249. *Dico* (inquit) *apertè pugnare quod hîc pronunciant Tridentini Patres cum illa ſententia, quiſquis audiuit à Patre venit ad me. Nam vt prudenter animaduertit Auguſtinus, inde ſequitur, nullum à Deo audire, quin ſimul in Chriſtũ credat, motũmque Spiritus ſancti ſic eſſe efficacem, vt fidem ſemper gignat. Conſtituunt autem hoc in hominis opinione, vt Dei inſpirationi, ſi velit, auſcultet.* Hæc ille: quæ profectò præter contradictionem inter Concilium, & Caluinum quoad potentiam diſſentiendi gratiæ, quæ eſt efficax, videntur etiam apertè oſtendere non alia de cauſa Caluinum in contradictione perſtitiſſe; niſi quia contra ſuam hæreſim ſentiebat ſtatutam à Concilio potentiam diſſentiendi in ſenſu compoſito: alioqui enim qua ratione putare potuiſſet de virtute Dei mouentis aut de efficacia, qua cor hominis renouatur quidquam detrahi per potentiam ad diſſentiendum in ſenſu duntaxat diuiſo,

hoc

hoc eſt, per eam potentiam, quæ ex proprio nomine, & conceptu habeat, vt effectum gratiæ ac virtutis mouentis nullatenus impedire, differre, aut imminuere poſſit? Sanè ex verbis vltimoloco relatis conſtat in eo eſſe Caluini vim, vt motus Spiritus ſancti ita ſit efficax, vt effectu numquam careat: ac propterea in eo ſenſu negat voluntati potentiam diſſentiendi gratiæ in quo eſſentiali;& propter ſuā naturalē vim infallibili eius efficacitati aduerſatur. Potentia autē ad diſſentiendū in ſenſu ſolùm diuiſo tantum abeſt, vt illi efficaciæ repugnet, vt eam omnino requirat, & includat. Ideò enim (ex ipſorum etiā Aduerſariorum ſententia) poteſt voluntas noſtra diſſentire ſolùm in ſenſu diuiſo gratiæ, quæ de facto eſt efficax, quia hæc eſt natura talis motus, vt sēper ob ſuæ virtutis eſſentiā ſortiatur effectū, ex quo ſequitur, vt non ſit in voluntate potentia ad habendū actum oppoſitum in ſenſu cōpoſito cum illa, ſed ſolùm in ſenſu diuiſo.

Ad hęc quòd Caluinus ſolū negauerit nobis potentiam ad diſſentiendū gratiæ, quæ eſt efficax in ſenſu cōpoſito: Confirmatur, quia negare potentiam ad diſſentiendū in ſenſu diuiſo eſt negare in eo homine, qui benè agit potentiam ſimpliciter ad oppoſita mediantibus etiam oppoſitis motionibus, & prædeterminationibus. Hanc autem potentiam, neque Caluinus, neque vllus omnino negare poteſt, cum omnibus manifeſtiſſima ſit frequenti experimento, quo conſtet homines de facto circa idem obiectum verſari actu volitionis, & nolitionis; & aliquando benè, & aliquando malè agere: quíque hoc negaret, diceretur potiùs naturali lumine carere quàm hæreſim excogitare.

Quintum

Quintum Argumentum.

QVintò;probatur Concilium loqui de potentia diſſentiendi in ſenſu cõpoſito:quia aſſenſus quem docet cap.5. & Can,4. citatis, præſtari gratiæ, quæ de facto eſt efficax, eſt aſſenſus verus, & in ſenſu compoſito, hoc eſt, coniunctio actus boni ad quem gratia mouet ſimul cum ipſa gratia. Quamobrem ſi Concilium doceret hominem, qui gratiæ præbet aſſenſum,poſſe illum ei nõ præbere:ſenſus eſſet, vt homo habens illam gratiam, quæ de facto eſt efficax,poſſit non facere id, quod facit,hoc eſt,non coniungere cũ eadem gratia illũ actum bonum,quem de facto cũ ea coniungit: ac propterea declararet Concilium poſſe hominem gratiæ, quæ de facto eſt efficax non conſentire in ſenſu compoſito,id eſt,ſimul cum illa non habere actum bonum quem ſimul habet,ſeu habere cum eadem illius actus negationem.Cùm ergo de facto Concilium,vt aliquid ampliùs diceret, expreſſerit potentiam poſitiuè diſſentiendi (quæ potentiam non conſentiendi inuoluit, & aliquid addit) omnino intelligendum videtur de potentia diſſentiendi in ſenſu compoſito.Nam alioqui longè minùs nobis tribuiſſet,quàm ſi ſolam potentiam expreſſiſſet non conſentiendi.

Sextum Argumentum.

POſtremò, Cõcilium intelligendum eſſe de potentia diſſentiendi in ſenſu compoſito. Probatur, quia implicat contradictionem, vt homo poſſit gratiæ,quæ eſt efficax, diſſentire in ſenſu diuiſo,

quod

quod ſic oſtendo poſſe diſſentire huiuſmodi gratiæ eſt poſſe cum illa componere, ſeu ſimul cum illa habere actum illi oppoſitum. Ergo implicat contradictionem, vt eidem poſſit homo diſſentire in ſenſu diuiſo, hoc eſt, vt poſſit componere non componendo, ſed diuidendo. Et conſequenter, vel ſimpliciter falſum eſt, quod Concilium docet; Poſſe nimirum hominem diſſentire gratiæ, quæ eſt efficax, vel illi verè diſſentiri poteſt in ſenſu compoſito; Antecedens probatur ſic: Actualiter diſſentire gratiæ, eſt actualiter ſimul cũ illa habere & cõponere actum ipſi oppoſitum. Neque enim eſſe, aut intelligi poteſt diſſenſus vllus abſque ſimultanea exiſtentia eius reſpectu, cuius eſt diſſenſus, & ad quod ex propria ſua ratione importat ordinem, & relationem. Ergo poſſe gratiæ diſſentire, eſt poſſe ſimul cum illa habere ſeu componere actum ipſi oppoſitum. Conſequentia per ſe ipſa videtur omnino clara, vt tamen luce meridiana clarior fiat.

Probatur ſic, poſſe diſſentire gratiæ, eſt poſſe illud ipſum quod eſt actualiter eidem diſſentire: ſed id quod eſt actualiter diſſentire gratiæ, eſt ſimul cùm ipſa componere actum illi oppoſitum. Ergo poſſe gratiæ diſſentire, eſt poſſe actum oppoſitum cum ea componere.

Prima quarundam reſponſio ad ſextum argumentum affertur, & reiicitur.

TOtam hanc ratiocinationem, quæ meum intellectum planè conuincit, propoſui doctiſſimis viris ex ſectatoribus contrariæ opinionis: quorum reſponſiones operæ pretium eſt referre, ac pro viribus

viribus refellere, vt noſtrum argumentum magis, ac magis confirmetur: aliqui ergo conceſſerunt, actualiter diſſentire gratiæ nihil aliud eſſe, niſi actualiter habere ſimul cum ipſa actum ei oppoſitum; hinc tamen inferri negarunt, vt poſſe eidem diſſentire ſit, poſſe ſimul cum illa habere actum oppoſitum: cúmque hanc deductionem poſtremo ſyllogiſmo iam allato probarem, dixerunt in eo tranſitum fieri à ſenſu diuiſo ad ſenſum compoſitum.

Sed præter quàm quòd huiuſmodi tranſitum oſtendere numquam potuerunt aut poterunt, niſi fallor. Contra illam reſponſionem eſt.

Primò, quia conſequentia illa diſſentire actualiter gratiæ eſt actualiter cum ea componere actum ei oppoſitum. Ergo poſſe gratiæ diſſentire eſt poſſe cum ea oppoſitum actum componere, nititur in vera, & receptiſſima Philoſophia Ariſt. 2. de an. tex.33. & S. Tho. ibidem: qua, ſcilicet, docemur non aliter potentiarum rationem inueſtigare quã per cognitionem, & definitionem actuum; qui ſunt illis priores (vt Ariſt. loquitur) ſecundùm rationem: ſtatim enim atq; nouimus eſſentiam actus; intelligimus eam quæ potentia nominatur reſpectu illius, eſſe vim faciendi (ſi actiua ſit, de qua loquimur) tale ens quale nouerimus eſſe actũ. Hinc apud Ariſt. & S. Tho. 2. de an. tex.48. cum omnium approbatione ex eo quòd nutritio ſit conſeruatio viuentis per conuerſionem alimenti in ſubſtãtiam aliti: infertur potentiam nutriendi, ſiue nutritiuam; eſſe potentiam eo pacto conſeruandi viuens, quæ conſequentia ſimilis adeò eſt noſtræ, vt nulla ratione bona eſſe poſſit, ſi noſtra mala ſit. Cúm-

que tota hæc Peripatetica doctrina ab eo principio pendeat, vt potentia (ſi de actiua loquamur, & idem ę proportionaliter de paſſiua) vis ſit talis, quæ poſſit facere illud ipſum ens quod eſt actus à quo denominatur: ſi quis Ariſtotelicam conſequentiam paulò antè allatam negaret, poſſet eo pacto probari: Potentia nutriendi, ſeu nutritiua eſt vis, ac potentia faciendi id, quod eſt nutritio; ſed id, quod eſt nutritio eſt conſeruatio viuentis per conuerſionem alimenti in ſubſtantiam aliti; ergo potentia nutritiua eſt potentia faciendi illam conſeruationem, ſeu ea ratione conſeruãdi viuens. Quod etiam argumentum cùm ſimillimum ſit poſtremo ſyllogiſmo à nobis ſuprà allato in confirmationem illius conſequentiæ (ergo poſſe diſſentire gratiæ eſt poſſe cum ea componere actum illi oppoſitum) ſit, vt ſicut in hoc nullus eſt vitioſus tranſitus ab vno ad alium ſenſum; ita etiam noſter ille ſyllogiſmus firmiſſimus ſit, & omni vitio careat. Et ſanè ſi modus argumentandi, quem vltimo loco in propoſito adhibuimus, malus eſt; mala omnino eſt methodus illa Ariſt. à S. Tho. cæteriſque omnibus approbata, de inueſtiganda potentiarum natura per cognitionem eſſentiæ actum.

Secunda oppugnatio primæ reſponſionis ad ſextum argumentum allatæ.

SEcundò, contra eandem reſponſionem eſt, quia rationi, & eſſentiæ entis omnino eidem conuenit ratio actualis, & poſſibilis: ergo ſi diſſenſus actualis gratiæ eſt actualis compoſitio, ſeu coniunctio cum illa actus ipſi oppoſiti: Diſſenſus eidem

eidem gratiæ poſſibilis, erit eadem omnino compoſitio vt producibilis, & factibilis ad extra: cúmque huiuſmodi diſſenſum eſſe poſſibilem; nihil aliud ſit, niſi hominem poſse illum efficere. Hoc ipſum; quod, ſcilicet, homo poſſit gratiæ diſſentire: illud erit omnino; vt, ſcilicet, poſſit cum ea oppoſitum actum componere. Id quod ſub aliis etiam terminis ad maiorem claritatem inferri poteſt. Voluntas enim iuxta morem loquendi ſcholaſticorum dici poteſt facere ſuos effectus tum in actu, tum etiam in potentia; ſicut ergo ſi in actu diſſentiat gratiæ; actu facit compoſitionem cum illa oppoſiti actus: ita etiam quatenùs dicitur diſſentire eidem gratiæ in potentia (quod ę Poſſe illi diſſentirem) dicēda eſt facere in potentia eandem cōpoſitionem, quia ad eandem prorsùs eſſentiam effectus comparatur, pro diuerſo ſtatu. Optimè ergo infertur ex eo quòd actualis diſſenſus ſit actualis compoſitio; vt potentia diſſentiendi ſit potentia efficiendi eandem compoſitionem: atque huiuſmodi conſequentia optimè etiam confirmatur per illum poſtremum ſyllogiſmum ſuprà allatum, cuius Maior eſt. Poſſe diſſentire gratiæ eſt poſſe illud ipſum quod eſt actualiter illi diſſentire. Ex quibus reiecta eſt (vt opinor) ſatis prima illa reſponſio, quam retulimus. Supereſt iam vt aliam audiamus.

Secunda reſponſio ad ſextum argumentum.

ALia ergo reſponſio eſt viri eiuſdem ſententiæ non minùs docti, qui cùm animaduertiſset totius ratiocinationis formam omni prorſus vitio

carere: ingenuè tandem faſſus eſt, eam non aliter diſſolui poſſe, quàm ſi negetur antecedens illius entimemmatis (Actualiter diſsentire gratiæ eſt actualiter cum ea componere actum ipſi oppoſitum. Ergo poſse diſsentire gratiæ eſt poſse cum ea oppoſitum actum componere.) Huius autem entimemmatis Antecedens alterutro ex duobus capitibus exiſtimabat negari poſſe, vel quia actualiter diſſentire, ſiue actualis diſſenſus non importet ex propria ſignificatione compoſitionem, ſeu coniunctionem & ſimultantem illius actus, qui eſt diſſenſus: cum ea ſuaſione aut motione reſpectu cuius eſt diſſenſus: vel certè, quia licèt nomen diſſenſus actualis actualem illam compoſitionem importet ex propria ſignificatione apud Grammaticos recepta, Concilium tamen in hac propria ſignificatione illud nomen non vſurpauerit: quo fieri putabat, vt actualis diſſenſus ex mente Concilij non ſit actualis illa compoſitio quicquid ſit de propria ſignificatione vocabuli.

Prima oppugnatio ſecundæ reſponſionis ad ſextum argumentum.

IN hac reſpōſione illud veriſſimum eſſe arbitror, noſtram ſcilicet ratiocinationem nulla ſimpliciter ratione ſolui poſſe, niſi ex iam allata reſponſione ſoluatur. Quare, vt eam inſollubilem eſſe pro viribus oſtendam. Contra hāc reſponſionem probare conabor neutro ex illis duobus capitibus negari poſſe illud antecedens (actualiter diſſentire gratiæ eſt actualiter cum ea componere actum ipſi oppoſitum) quod enim negari non poſſit ſpectata propria

propria ſignificatione nominis diſſenſus actualis: Quod erat primum caput. Primò, quia apud Grammaticos, & alios omnes nihil eſt aliud actualis diſſenſus; niſi ſenſus: ſiue liber actus, oppoſitus, & contrarius motioni, aut ſuaſioni reſpectu cuius dicitur eſſe diſſenſus; quæ oppoſitio, & contrarietas requirit eandem rem reſpectu cuius eſt diſſenſus (vtpote ſui terminum) ſimul exiſtentem cum ſuo fundamento. Cùm ergo agamus de diſſenſu reſpectu rei non aliter exiſtentis quàm inhærendo illi, qui poteſt diſſentire: propria ſignificatio vocabuli (diſſenſus) requirit vt in eodem ſimul ſit terminus contrarietatis importatæ per diſſenſum: hoc eſt motio, cui diſſentitur. Et fundamentum eiuſdem contrarietatis; quod eſt actus ipſe, qui eſt formalis diſſenſus. Ex quo palàm fit diſſenſum ex propria ſua ſignificatione eſſe compoſitionem actus oppoſiti motioni cum ipſa motione: ſeu poſitionem actus oppoſiti motioni, in eodem, in quo eſt motio, & ſimul cum illa.

Secunda oppugnatio eiuſdem ſecundæ reſponſionis.

SEcundò probatur, quia ſi quis habeat internam ſuaſionem, aut motionem ad eliciendam exempli cauſam, in hoc inſtanti liberam volitioné hodierni ieiunij. Et ſimul in hoc inſtanti habeat illam ipſam volitionem, ſine dubio non diſſentit; ſed conſentit: ſi verò in hoc ipſo inſtanti habeat volitionem non ieiunandi cras. Per hanc non diſſentit prædictæ motioni, quia illi non opponitur ob temporis diuerſitatem: Ex quo fit, vt huiuſmodi vo-

litio conſiſtat cum conſenſu illi motioni præſtito: poteſt enim quis in hoc inſtanti ſimul habere volitionem ieiunandi hodiè per quam motioni conſentit) & volitionem non ieiunandi cras; quæ nihil habet commune cum illa motione: ſi rursùs habeat in inſtanti antecedenti, aut ſequenti volitionem non ieiunandi hodie: per hanc ipſam motioni non diſſentit, quia illa mouet, & ſuadet ad producendam volitionem hodierni ieiunij in hoc determinato inſtanti; ideò illi non opponitur, & non diſſentit productio cuiuſuis alterius volitionis in alio inſtanti. Patet, quia huiuſmodi productio conſiſtit cum conſenſu, qui eidem motioni præſtetur. Qui enim in inſtanti antecedenti, aut ſequenti elicit volitionem nõ ieiunandi, hodie poteſt in hoc inſtanti producere volitionẽ hodie ieiunandi, per quam illi motioni conſentit. Si denique ille idem qui in hoc inſtanti mouetur interius ad eliciendam in hoc inſtanti volitionem hodierni ieiunij, nullam in hoc ipſo inſtanti eliciat volitionem de hodierno ieiunio; dicetur quidem motioni non conſentire: non autem dicetur illi verè, & poſitiuè diſſentire per actum oppoſitum. Ergo à ſufficientiſſima partium enumeratione relinquitur, vt in propoſito ſolùm ſit diſſenſus: ſi is, qui in hoc inſtanti habet motionem ad eliciendam in hoc inſtanti volitionem hodierni ieiunij: habeat in hoc ipſo inſtanti volitionem hodiè non ieiunandi: ac propterea componat cum illa motione actum ei oppoſitum. Cùm ergo hæc vera ſint ſpectata ſignificatione nominis diſſenſus iuxta commune omniũ hominum ſententiam, vt per ſe patet: fit vt nomen diſſenſus omnino importet ex propria ſignificatione

ne compoſitionem actus motioni, aut ſuaſioni oppoſiti cum ipſa motione, aut ſuaſione: & ratio (quæ totum etiam argumentum confirmat) eſt; quia eatenus internæ motioni diſſentimus, quatenus eam in nobis percipientes liberè eligimus agere cõtra perpenſionem ab ea nobis inditam. Ac propterea dum elicimus actum diſſenſus internæ motioni hanc ipſam ſimul habemus: Nam eam in nobis agnoſcentes diſſentimus, cùm voluntas neque actu diſſenſus, neque alio quocumque ferri poſſit in incognitum.

Ex quibus colligitur primò, aduerſarios nomine tenùs duntaxat videri concedere, vt in homine poſſit eſſe actus oppoſitus motioni cuiuis phyſicè prædeterminanti. Cùm enim omnis huiuſmodi motio moueat ad actum eliciendum in certo inſtanti, & certis circunſtantiis non aliter eſſe poteſt actus verè oppoſitus cuilibet motioni, quam ſi cum illa ſimul ſit in illo ipſo inſtanti, & circunſtantiis, vt probauimus. Quod tamen illi negant fieri poſſe.

Colligitur ſecundò, in actu diſſenſus duos ordines eſſe diſtinguendos: Alterum ad ſuum obiectum, per quem conſtituitur in tali ſpecie actus: alterum verò ad id reſpectu cuius dicitur diſſenſus ob cuius defectum fieri poteſt, vt actus eiuſdem ſpeciei, & habens eundem ordinem ad obiectum; careat ratione diſſenſus. Siquis enim à nullo ſuaſus, vt velit ire in partem dexteram eliciat volitionem eundi in ſiniſtram; nulli prorſus diſſentiet, vt notum eſt: Et tamen actus eius erit eiuſdem ſpeciei, ac eundem habebit ordinem ad obiectum, quem haberet, ſi eliceretur alio ſuaden-

te ad volendum ire in partem dexteram: in quo caſu haberet rationem diſſenſus propter exiſtentiam oppoſitæ ſuaſionis cui opponeretur. Idem accidit in actu tranſgreſſionis legis, aut præcepti. Nullo enim exiſtente contrario præcepto actus comeſtionis aut volitionis illius non eſt tranſgreſſio, aut inobedientia; idem verò actus eundem habens ordinem ad ſuum obiectum poſito præcepto de non comedendo habet rationem tranſgreſsionis atque inobedientiæ. Idem illuſtrari poſſet in ſexcentis aliis exemplis: ſed hæc ipſa ob nimiam rei claritatem libentiùs omiſiſſem, niſi ad ea præferenda reſponſiones, quas ab Aduerſariis audiui, quodammodo coëgiſſent.

Atque ex his probatum eſt iam ſatis (vt opinor) antecedens illud actualiter diſſentire gratiæ, eſt actualiter cum ea componere actum ipſi oppoſitum negari non poſſe ex primo illo capite ſpectata, nimirum propria ſignificatione nominis diſſenſus.

Contra ſecundam reſponſionem probatur nomen diſſenſus à Concilio in propria ſignificatione fuiſſe vſurpatum.

QVod verò negari etiam non poſſit ex ſecundo capite, ex eo ſcilicet quod Concilium idem nomen non vſurpauerit in ſua propria ſignificatione.

Probatur primò efficaciter ex iis, quæ ſuprà diximus hoc ipſo cap. in primo argumento, ac eius confirmationibus: alieniſſimum enim eſt ab inſtituto Concilij docentis ſanam doctrinam in materia

teria tam lubrica, vocabulis abuti; ac ea in alio ſenſu vſurpare, quam ille ſit, quem ex cōmuni omnium ſententia important. Imò PP. in c. 5. & Can. 4. huius 6. ſeſſ. 14. de quibus agimus: de induſtria (vt ibidem retulimus) omnem planè ſermonis improprietatem, atque ambiguitatem vitarunt.

Secundò probatur, quia dum Concilium docuit poſſe nos illi gratiæ diſſentire, cui præbemus aſſenſum: ita vſurpauit (vt patet) nomen diſſenſus, vt hic ſit oppoſitus aſſenſui (de quo ibidem loquebatur) & motioni, à qua ille aſſenſus pendet. Neutri autem eſſet oppoſitus diſſenſus in alia, quam propria ſignificatione vſurpatus. Aſſenſui enim non eſſet oppoſitus: quia ille eſt actus ſupernaturalis, qui non aliter eſſe poteſt quàm in ſenſu compoſito ſimul cum motione, quæ de facto ſit efficax. Et propterea ipſius ſubiectum eſt voluntas non quidem ſola, ſed ſimul cum ſupernaturali motione. Ex quo fit, vt actus cuius ſubiectum ſit voluntas vt eadem motione ſpoliata non ſit illi oppoſitus, quippe qui non verſetur circa idem. Talis autem eſt actus diſſenſus aliter quàm in ſua propria ſignificatione vſurpatus, quia ſi non eſt actus compoſitus cum motione cui diſſentitur, eſt actus inhærens voluntati eadem motione prorſus deſtitutæ. Quod verò diſſenſus in eadem impropria ſignificatione acceptus non ſit oppoſitus motioni: probari poteſt ex iis quæ paulò ſuprà diximus in ſecundo argumento, dum probabamus propriam ſignificationem nominis diſſenſus. Quibus addi poteſt quod Concilium accipit nomen diſſenſus in eo ſenſu, in quo ſit oppoſitus non quidem motioni in genere ad ali-

quem actum, ſed illi ipſi indiuiduæ quam quis hîc, & nunc habet. Id enim expreſsè oſtendunt illa verba cap. 5. *Neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam, & abijcere poteſt.* Id oſtendunt (inquam) in pronomine illo repetito (illam) ſi verò nomen diſſenſus ita accipitur, vt non importet compoſitionem cum motione cui diſſentitur nullo modo eſt oppoſitus certæ & determinatæ motioni: Si enim volitio, quam modò quis habeat occidendi inimicum dum ad ei parcendum efficaciter, hoc eſt per motionem ex natura ſua prædeterminantem non mouetur; poteſt vlla ratione dici oppoſita eſſe motioni prædeterminanti ad parcendum; & habere rationem diſſenſus reſpectu illius: nulla ſanè eſt maior ratio, quare ſit oppoſita potiùs motioni quam habuit, prædeterminanti ad parcendum heri, nudiuſtertius, & ante quantumcumque tempus, quàm cuiuis ex illis motionibus prædeterminantibus, quas idem habiturus ſit poſteà in ordine ad eundem inimicum. Ac proinde conſtat illam vltionem nulli indiuiduæ, & certæ motioni opponi tanquam proprium ipſius diſſenſum. Imò ſimpliciter non magis habet vllam rationem diſſenſus, quàm habeat rationẽ tranſgreſſionis ille actus, qui poſſet lege prohiberi, ſed exercetur de facto nulla planè lege prohibere. Quò fit, vt huiuſmodi vſurpatio nominis diſſenſus non ſolùm minimè congruat propriæ ſignificationi; ſed etiã ab ea ita recedat, vt maxima ſolùm eiuſdem nominis abuſio eſſe poſſit. Qualis abuſio etiam eſſet, ſi quis tranſgreſſionem vocaret illum actum, qui tempore quo fit nulla lege eſt prohibitus: ſed

fuit

fuit antea aliquandiu prohibitus, vel poſtea ſpacio aliquo temporis elapſo prohibetur.

Tertium argumentum, quo probatur nomen diſſenſus non impropriè fuiſſe vſurpatum.

TErtiò, quòd Concilium in nomine diſſenſus propriam ipſius ſignificationem retinuerit, oſtendi poteſt ex iis,quæ ſuprà hoc eodem cap.in 4.argumento attulimus de ſenſu Caluinianæ hæreſis in propoſito;ac de contradictione inter Cõcilium,& Caluinum.

Quartum argumentum.

QVartò probatur, quia in eo ſenſu vſurpatum eſt à Concilio nomen diſſenſus,in quo æquiualet huic verbo(abiicere) Pro eodem enim accipitur(diſſentire)Can. 4.atque (abiicere) cap. 5.vt in confeſſo eſt apud omnes. Diſſentire autem ſeu diſſenſus in propria ſolùm & vera ſua ſignificatione acceptus (quatenus importat cõpoſitionem ſępiùs explicatam) æquiualet huic verbo (abiicere) nam abiicere gratiam omninò ſignificat compoſitionem actus gratiæ oppoſiti ſimul cum ipſa gratia, ſiquidem ſignificat actum illi oppoſitum ita circa ipſam verſantem,vt ſine ipſa neque eſſe,neque intelligi vlla ratione poſſit. Quis enim capiat,aut credat id ab aliquo abiici quod non habeat?Hinc Ariſt.4.Meta.t.22.*Abiiciens*(inquit)*habet aliquid eius quod abiicit.* Cui conſentit in terminis S.Thomas in eum locum. Dicunt verò (habet aliquid eius quod

quod abiicit) quia loquuntur de ſucceſſiuis,quæ ſicut per partes abiiciuntur , ita etiam per partes habeantur neceſſe eſt. Abiicere ergo entitatem gratiæ,quæ de facto eſt efficax , eſt illam gratiam à ſe remouere , & cum ea hunc actum oppoſitum cum ea componere : Ac propterea hoc ipſum etiam eſt, illi diſſentire iuxta Concilij ſententiam.

Quintum Argumentum.

QVintò denique idem probatur:nam ſi liceret hoc pacto interpretari Concilium Tridentinum nihil haberemus in vllo Concilio certi , aut etiam in ſacris literis. Pro libito enim poſſet quiſque dicere hæc aut illa verba non ſolùm in minus proprio ſenſu fuiſſe vſurpata , ſed etiam in eo ſenſu , qui nihil cùm proprio haberet commune. Neque verò quiſquam hîc mihi obiiciat quod obiecerunt aliquando Aduerſarij. Nimirum faciendam non eſſe tantam vim in ſignificatione vocabuli:quaſi hoc Grammatici ſit potiùs , quàm Theologi. Nemo(inquàm)id obiiciat qui vt Magiſtros optimos non quidem Grammaticorum,ſed Theologorum agnoſcat S. Auguſtinum , & ipſum etiam Apoſtolum Paulum Gentium omniumDoctorem. Ab his enim vti didicimus hac argumentandi formula , quæ propriè nititur ſignificationi vocabulorum.Nam hac ipſa vtitur S.Auguſt.Dum in illud Pſalm.78. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter.Ex eo probat adiutorium Dei, & gratiam non tollere : liberum arbitrium , quia vis vocis adiuuandi hoc importat ; vt qui adiuuatur aliquid agat : Hinc tractat 4. in Epiſt. Io. ait, *ſi dicis,*

cis, Adiutor meus eſto, aliquid agis: nam ſi nihil agis quomodo ille adiuuat? Eodem etiã modo argumẽtatur Aug. de verbo Apoſtoli ſerm. 13. Et de perfectione iuſtitiæ contra Cœleſtium. Hac eadem etiã argumentandi formula vtitur Apoſtolus Paulus, dum ait, Rom. 4. Vbi non eſt lex, neque præuaricatio: quod argumentum latiùs perſequitur Auguſt. lib. 83. qq. quæſt. 66. lib. 1. ad Simplician. initio, & alibi. Quod ſanè argumentum accommodatiſsimum eſt nobis. Nam ſimiliter dicimus: Vbi non eſt motio, neque illi motioni; quæ non eſt; poteſt eſſe diſſenſus: vt ſicut præuaricatio non poteſt eſſe in ſenſu diuiſo à lege; ſed ſolùm in ſenſu compoſito cum illa; ita neque diſſenſus in ſenſu diuiſo à motione reſpectu cuius ſit diſſenſus; ſed ſolùm in ſenſu compoſito cum illa.

Explicatur quomodo locum habeat diſtinctio de ſenſu diuiſo, & compoſito.

DIces, diſtinctio de ſenſu diuiſo, & compoſito eſt communiter recepta, & aliis potentiis in ordine ad alios actus cum omnium approbatione applicatur. Ergo etiam in propoſito locum habere poteſt.

Reſpondeo, potentiam aliquando comparari ad actum vti affectam ea diſpoſitionẽ aut qualitate, quæ incompoſſibilis ſit cum ipſo actu: vt cùm dicitur paries albus poteſt eſſe niger: cum actu enim nigredinis incompoſſibilis eſt albedo: Aliquando verò comparari, vt affectam diſpoſitionẽ quã actus ex propria ſua ratione, & eſſentia ſecum poſtulet, coniunctã: vt cũ dicimus homo iuſſus hoc

vel

vel illud facere poteſt obedire. Actus.n.obedientiæ ex propria ſua natura,& eſſentia eſt talis,vt in eum duntaxat cadere poſſit, in quo iuſſum, & præceptum coniunctum habeat: quãdocunque ergo diſtinctio de ſenſu diuiſo, & compoſito rectè applicatur, vt verè dicatur fieri aliquid poſſe ſolùm in ſenſu diuiſo:tunc actus non includit illam diſpoſitionem cum qua enunciatur potentia, ſeu res, quæ dicitur potens, ſed potiùs eſt omnino incompoſſibilis cum illa, vt inductione conſtare poteſt, & videtur etiam ex ſe manifeſtum: quando verò actus includit ex ſua ratione compoſitionem cum illa diſpoſitione potentiæ, tunc nullatenus ea dici poteſt actum facere poſſe in ſenſu diuiſo ab illa diſpoſitione, quia hoc implicat contradictionem, vt patet ex ſuprà dictis, ex quibus conſtat actum diſſentiendi gratiæ includere ex ſua eſſentia compoſitum cum gratia; & ideò falſum eſſe vt voluntas habens gratiam poſſit gratiæ diſſentire in ſenſu diuiſo. Qua etiam ratione ob eandem cauſam falſum eſt hominem iuſtificatum in ſenſu diuiſo perſeuerare poſſe. Aut hominem lapſum in ſenſu diuiſo poſſe reſurgere. Quia, nimirum, actus perſeuerandi ex eſſentia ſua includit coniunctionem, & compoſitionem cum iuſtificatione præcedenti, & actus reſurgendi, cum præexiſtenti lapſu.

Atque ex his videtur vndequaque reiecta ſatis ſecunda reſponſio, quam retulimus, eáque corruente rationatio noſtra tota firmiſſima,& validiſſima relinquitur.

CAPVT

Capvt VII.

Probatur ſecunda ſententia ſuprà relata ex Can. 6. eiuſdem ſextæ ſeſsionis.

Sententiam Aduerſariorum de gratia ſufficienti ac efficaci hactenus (vt opinor) ſatis oppugnauimus: ideò reliquum eſt, vt ſicut in calce cap.2. polliciti ſumus contra phyſicam prædeterminationem ad entitatem actus moraliter mali differamus. Eruemus autem argumenta ex Can. 6. eiuſdem 6. ſeſſionis, vbi canonis verba retulerimus, qui ſic habet: *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala, ita vt bona Deum operari, non permiſsiuè ſolùm; ſed etiam propriè, & per ſe, adeò vt ſit proprium eius opus non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, anathema ſit.*

Tres propoſitiones damnat his verbis Concilium.

Prima eſt: Non eſt in poteſtate hominis vias ſuas malas facere.

Secunda, Deus operatur mala hominum opera permiſsiuè ſolùm.

Tertia, eodem modo operatur Deus mala opera, quo operatur bona, & ideo vtraque illi æquè tribuenda ſunt.

Hæ autem propoſitiones omnes videntur ex Aduerſariorum ſententia colligi, ex quo ſequitur, vt eadem ſententia ex huius Can. doctrina reiiciatur.

Et quidem quod prima propoſitio deducatur ex illa opinione, videtur ſatis probari poſſe ex iis, quæ attulimus cap. 5. dum probabamus non relinqui ab Aduerſariis auxilium verè ſufficiens ad non peccandum: hoc enim ipſo fit, vt qui pecat, non habeat in ſua poteſtate vias ſuas malas facere, quia ita eas peccando malas facit, vt non poſſit non facere. Idem oſtendi etiam poteſt ex iis, quibus cap. ſuperiori probare contendimus ab auxilio efficaci, iuxta eandem ſententiam non relinqui veram potentiam ad diſſentiendum, & conſequenter nec libertatis vſum. Hinc enim etiam fit, vt nullus dum benè operatur poteſtatem habeat non benè operandi, vt vias ſuas malas faciendi.

Argumenta ex ſecunda propoſitione à Concilio damnata.

SEcunda verò propoſitio ex eadem ſententia videtur apertè colligi, quia cùm Auctores illius contendant; Deum phyſicè prædeterminare ad actus etiam intrinſecè malos quatenus actus, & ens ſunt. Nulli dubium eſſe poteſt, quin phyſicè prædeterminare; ſit operari non promiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe. Hoc enim ex terminis euidens eſt: & clarius etiam redditur ex iis, quæ communiter docent omnes de promiſſione diuina, iunctis iis quæ de phyſica prædeterminatione tradunt Auctores ipſius: Theologi enim in 4 d. 45. quæſt. 1. cum Magiſtro ibidem cap. Permiſſio diuinam promiſſionem circa mala opera verſantem à diuina operatione contradiſtinguunt; ita

ita vt Deus permittendo vt ſic non operetur, ſed ſinat, vt nos operemur. Hinc Scot. in 1.d.47.q.1.§. Reſpondeo, vt explicaret diuinam permiſſionem; ait. *Illud permitto, quod ſcio ab alio malè fieri, & diſplicet: ſi non prohibeo, hoc permitto, ſi tamen poſſe prohibere.* Scotum hac in re ſequuntur Lich. ibidem. Baſſol. & alij. Et ſimilem etiam doctrinam tradit Durand. in p.d.46.q.5. & Greg. in p.d.46. & 47.q. 1.ar.1. Ad hæc S. Thom. p.p.q.19.art.vlt. vult permiſſionem Dei eatenus eſſe ſignum diuinæ voluntatis, quatenus Deus facit aliquid indirectè, id eſt non impediendo ne fiat: quo etiam modo permiſſionem accipit Caiet. p.p.q.22.ar.2.in fi. & q.23.art. 5. non longè à fi. Ac propterea S. Thom. etiam & Caie. apertiſſimè contrà diſtinguunt diuinam permiſſionem à propria Dei operatione, vt eam contrà diſtinguit S. Auguſt. in Enchir. cap. 96 illis verbis (à S. Thom. loco citato approbatis) hoc eſt. *Nihil fit niſi omnipotens fieri velit, vel ſinendo vt fiat, vel ipſe faciendo.* In quam ſententiam plura habentur apud eundem Auguſt. de diuinatione Dæmonum paulò pòſt initium. Hic ergo eſt communis omnium ſenſus, vt promiſſio ſit negatio impedimenti, & cohibitionis. Ex quo rectè infertur illud, quod traditur communiter de voluntate Dei circa ea; quæ ab ipſo permittuntur. Scot. enim in 1.d.47.q.1.§. ſi autem: loquens de permiſſione ait: *Huic autem non correſpondet aliquid, in ipſa voluntate diuina, niſi non velle prohibere illud fieri, ſiue non velle, quod eſt negatio actus diuini poſitiui, & per conſequens non eſt actus poſitiuus.* Similia docet Greg. ibidem, & Aquar. in Addit. in Capreol. in p.d.47. in fi. S. Thom. verò paſſim docet mala, quæ à Deo

permittuntur,fieri Deo nec volente, nec nolente, vt fiant:ſed permittente. Ita in p. d.46.q.1.ar.4.ad 2.p.p.q.19.ar.9.ad 3.& 1.2.9.39.ar.2.ad 3.Ita etiam Caie.p.p. q.22.ar.3. in fi. & alij. Ex quibus omnibus patet; duo ex communi conſenſu conuenire permiſſioni diuinæ. Quorum alterum eſt, vt actualis permiſſio non ſit actio, per quam Deus faciat, vt operemur; ſed ſit negatio impedimenti reſpectu illius operationis, quæ ex libera noſtra determinatione pendet. Alterum verò, vt non importet in voluntate diuina decretum abſolutum de actu permiſſo; ſed actum negatiuum,quo Deus intelligatur, nec velle illum actum eſſe,nec nolle.His ergo ſi adiungamus duo contradictoriè oppoſita, quæ de ſua phyſica prædeterminatione paſſim tradunt oppoſitæ ſententiæ Auctores:hoc eſt,vt ea ſit actio, qua Deus effectiuè faciat, vt faciamus actum, ad quem prædeterminat: Vtque huiuſmodi actioni reſpondeat in diuina voluntate abſolutum decretum, & præfinitio actus prædeterminati efficax, & prior quacumque præuiſione etiam ex hypotheſi liberi conſenſus noſtri. Euidens omnino videtur fieri, vt Deus non operetur in Aduerſariorum ſententia permiſſiuè ſolum actus, quibus peccamus cùm ad eos phyſicè prædeterminet.

Reſponſio Aduerſariorum.

NEque valet ſi dicas, Concilium dum ait operari Deum ſolum permiſſiuè opera mala:loqui de illis abſolutè, hoc eſt quatenus à malitia denominantur; ſeu de illis præcisè quantum ad malitiam moralem quam habent.

Prima oppugnatio allatæ reſponſionis.

CONtra hanc enimreſpon ſionem eſt. Primò, quia illud vult Concilium à Deo effici permiſſiuè ſolùm quod Deus ipſe nobis prohibet; opera enim mala (de quibus agit Concilium) & opera nobis à Deo vetita ſynonima ſunt : & prætcrea ideò vult Concilium (vt ſatis ex contextu patet)huiuſmodi opera fieri à Deo permiſſiuè ſolùm ; vt in noſtra poteſtate relinquatur vias noſtras ex nobis malas facere : quod non contingeret, ſi Deus non permitteret modò, ſed efficaciter etiam faceret, vt faceremus, quod vetat. At verò Deus non prohibet nobíſne actui intrinſecè malo cum perfecta cognitione ex efficacia diuinæ motionis elicito annexam habeamus formalem malitiam;ſed prohibet,ne hîc,& nunc ſingula cognoſcentes , in quibus eſt actio hanc entitatem actus producamus , cum qua eſt inſeparabiliter coniuncta malitia moralis. Dum enim dicitur, Non concupiſces.Non eſt ſenſus. Caue ne dum actum liberum concupiſcentiæ produces ; ad illum ſequatur malitia moralis:fieri enim nulla ratione poteſt, vt non ſequatur:ſed ſenſus eſt : Abſtineas omnino à libero illo actu concupiſcentiæ propter inſeparabilem malitiam deformi:ſeu, ne liberè feraris in hoc obiectum , quod actui ſpeciem tribuit rectæ rationi contrariam. Quare Concilium vult ; Deum permiſsiuè ſolum concurrere , non ad conſecutionem malitiæ moralis ad entitatem actus : ſed ad liberam arbitrij creati determinationem ad producendam ipſam actus mali entitatem.

Confirmatur, quia ſi Deus ad entitatē actus mali concurrit non permiſſiuè ſolùm, ſed phyſicè prædeterminando; Deus abſolutè, & efficaciter pro ſua libera voluntate abſque vllo ordine ad vſum etiā ex hypotheſi præuiſum libertatis creatæ vult, vt homo cum perfecta cognitione ſingulorum, in quibus eſt actio liberè feratur in hoc obiectum (exempli cauſa) furtum. Cùm ergo homini etiam à Deo prohibeatur, ne feratur in idem obiectum, & grauiter conqueratur Deus, & puniat, ſi huiuſmodi prohibitioni homo non pareat: ſe qui omnino videtur, vt Deus quantum eſt ex ſe, & abſque vlla præuiſione etiam ex hypotheſi liberi concurſus noſtri; idem eodem prorſus modo velit, & nolit.

Secunda oppugnatio eiuſdem reſponſionis.

SEcundò contra eandem reſponſionem eſt, quia cum Concilium docet, Deum permiſſiuè ſolū operari noſtra mala opera; de eo loquitur quod Deus poſſet non permittere, & impedire, quominus fieret, huiuſmodi enim potentia impediendi eſt omninò de ratione permiſſionis, vt patet ex iis, quæ ſuprà ex pluribus Auctoribus attulimus: & ſatis etiam expreſsè docet Auguſt. in enchir. citato, cap. 96. Sed nulla ratione poteſt Deus efficere, vt ad entitatem actus intrinſecè mali liberè elici non ſequatur malitia moralis, quia implicat contradictionem, vt actus intrinſecè malus. v. g. actus odij Dei liberè eliciatur & malus non ſit, ſeu malitiam formalem coniunctam non habeat. Ergo id, quod Deus

Deus iuxta Concilij decretum operatur permiſſiuè ſolum eſt libera ipſi hominis determinatiò ad producendam entitatem actus mali: non autem, ſola conſecutio formalis malitiæ ad huiuſmodi entitatem. Alioqui enim ſi diuina permiſſio reſpectu peccatorum attendenda eſſet ſolum penes hanc malitiæ conſecutionem, quam Deus poſito actu, vel ipſius prædeterminationē nullatenùs impedire poteſt: non ſolùm non operaretur mala noſtra opera permiſſiuè ſolùm: ſed ea etiam nullo modo permitteret. Hinc equidem non video quā ratione probetur, aut probari ab vllo poſſit, quod aliqui recentiones dicunt. Nimirum vt aliquod peccatum ſit futurum, atque vt illud certò, & infallibiliter Deus cognoſcat eſſe futurum, vltra prædeterminationem actus peccati; neceſſariò requiri, vt Deus permittat eius malitiam. Vt enim omittam, permiſſionem hanc poſt prædeterminationem actus peccati liberè eliciendi implicare contradictionem ex iis, quæ ſuprà attulimus. Ex ſola certè præfinitione abſoluta, & prædeterminatione entitatis actus, verbi gratia. Odij Dei liberè eliciendi fit ex Aduerſariorum ſententia, vt entitas illius actus liberè ex parte hominis; & cum perfecta cognitione ſit futura: eo ipſo autem quod huiuſmodi entitas liberè futura eſt, abſtrahendo ab omni alio, eſt futura cum eo quod ad eſſentiam ipſius ſine vllius agentis actione intermedia ita ſequitur, vt implicet contradictionem, eam eſſe ſine illo, cúmque hac ratione ſequatur malitia moralis: Ex eo præcisè quod entitas illius actus ex vi ſolius præfinitionis, & prædeterminationis eſt futura: eſt etiam futura huiuſmodi malitia con-

ſequens: & Deus qui independenter ab omni ſuo libero actu ſcit connexionem ſummè neceſſariam inter entitatem ab homine liberè productam actus odij diuini; & malitiam moralem: Eo ipſo quod per ſuam præfinitionem abſolutam ſcit entitatem illius actus liberè ab homine emanaturam; ſcit præſcindendo à permiſſione, & quocumque ab illa præfinitione diſtincto; Malitiam moralem eſſe futuram. Ex cognitione enim illius inſeparabilis connexionis: & cognitione illius entitatis liberè futuræ; à nobis ipſis (ſecluſo omni alio) per diſcursũ certò cognoſceretur futura malitia moralis, & futurum peccatum formaliter. Ergo multò certiùs hoc ipſum (ſecluſo ſimiliter omni alio & abſtrahendo à permiſſione illi præfinitioni ſuperaddita) cognoſcetur à Deo abſque vllo diſcurſu.

Tertia oppugnatio eiuſdem reſponſionis.

TErtiò, contra eandem reſponſionem eſt, quia ſi Concilium vellet, vt permiſſio diuina verſaretur ſolùm circa formalem actuum malitiam poſt actus præfinitos, & prædeterminatos; falſum eſſet: Deum ideò peccata permittere, vt plenum vſum libertatis nobis relinquat; néve potentiam noſtræ voluntatis ad vtrumlibet ſe habẽtem ligare quodammodo videatur: Nam vſus libertatis conſiſtit in libera determinatione ad producẽdam entitatem actus: non autem in conſecutione malitiæ moralis circa quam per accidens duntaxat libera potentia verſatur; hoc eſt mediante actus entitate. Ea verò diuinæ permiſſionis ratio communiter

muniter ab omnibus approbari ſolet, eámque exprimit S. Tho.in 1.d.47.q.1.ar.2. ad 4. Cùm enim ſibi obieciſſet ad Deum, vtpotè innocentiſſimum pertinere, vt omnia peccata impediat. Reſpondet his verbis. *Ad 4.dicendum quod officium innocentis non eſt prohibere peccata, niſi ſecundùm conditionem illorum: non enim debet ligare homines ne peccent: ſed per admonitionem prohibere ita, & Deus ſaluata conditione humanæ libertatis peccata prohibet ſuis legibus.* Illam eandem rationem affert Caiet. p.p. q.23. ar. 5. in quæſt. Num Iuſtitia punitiua ſit finalis cauſa totius reprobationis, dum ait. *Suauis diſpoſitio creaturarum rationalium, & hominum manifeſtè eſt cauſa permiſſionis peccatorum, dum homines quidam relinquuntur in manu proprij Concilij.* Et p.p. q.22. ar. 2. vbi ait, *Subeſt etiam naturalis ratio cur malum culpæ permiſſum fuerit, ſcilicet, ſuauis rerum diſpoſitio: potentia namque peccandi ab vniuerſo ſubtrahi non potuit ſine illius maxima iactura in amiſſione omnium creaturarum intellectualium, vt alibi patet. Actus autem peccati ab huiuſmodi potentia progrediens, quamuis prohiberi, id eſt, non permitti potuiſſet. Suauis tamen diſpoſitio liberi arbitrij creati hoc non exigit, ſed magis, vt ſua vi ſe ipſum agat. Et quoniam ad Prouidentiam diuinam ſpectat diſponere omnia ſuauiter: ſapientiſſimè eligit Deus permiſſionem malorum culpæ.* Ex quibus S.Tho.& Caie. verbis liquidò conſtat eos velle, ideò peccata à Deo permitti, vt ſaluetur conditio libertatis humanæ, vtque per ſuauem diſpoſitionem creati arbitrij naturæ accommodatam arbitrium ipſum ſolutum relinquatur, vt ſua vi ſe ipſũ agat: quæ ſanè reſpectu malitiæ moralis, ad quam non eſt immediatus influxus, attendi non poſ-

ſunt,ſed ſolũ reſpectu realis entitatis actus,ſeu determinationis ad illum producendũ, vt clariſſimè expreſſit etiam Caiet. in verbis paulò antè relatis ibi. *Actus autem ab huiuſmodi potentia progrediens.*

Confirmatur, quia ſi Concilium vellet permiſſionem attendendam ſolùm eſſe ratione formalis malitiæ actus : falſum eſſet quod de permiſſione docet S. Tho. in 1. d. 47. quæſt. 1. ar. 2. in corp.& 3. In corp.enim hæc habet. *Poteſt fieri oppoſitum eius quod permiſſum eſt, quod tamen ſit ſecundùm permiſſionem, quia permiſſio reſpicit potentiam cauſæ ad vtrumque oppoſitorum ſe habentem. Vnde neutrum oppoſitorum contra permiſſionem eſt. Sed vtrumque ſecundùm eam.* Eandem repetit ibidẽ in reſponſ. ad 3. ſi autem permittitur ſolùm malitia moralis actus prædeterminati, permiſſio non reſpicit potentiam cauſæ ad vtrumque oppoſitorum ſe habentem, ſed potentiam per actum ſecundum ad vnum determinatam, imò verius reſpicit vnum ex ipſis actibus oppoſitis. Nec præterea poteſt fieri oppoſitum eius quod permiſſum eſt, quia permiſſio malitiæ huius actus ſupponit in Aduerſariorum ſententia præfinitionem abſolutam, ac efficacem, & prædeterminationem intrinſecam ad entitatem actus, cum quibus coniungi non poteſt negatio huius entitatis, & in hac ipſa entitate, vt liberè producta; bonitas malitiæ morali oppoſita, nullatenus eſſe poteſt : ex quibus patet eſſe contra propriam rationẽ permiſſionis diuinæ, vt verſetur ſolùm circa formalem malitiam, ac proinde in hoc ſenſu Concilium intelligendum non eſſe. Cùm præſertim ab omnibus dicatur Deus eatenùs permittere peccata, quatenùs auxilium non confert quo vitarentur.

tur. Quod tamen auxilium non quidem faceret vt ad entitatē actus odij Dei liberè productam malitia moralis non ſequeretur, ſed faceret, vt entitas illa liberè non produceretur.

Quarta oppugnatio eiuſdem reſponſionis.

QVartò, denique contra eandem reſpōſionem eſt, quia ſi Concilium dum ait mala noſtra opera fieri à Deo permiſſiuè ſolum, intelligendum eſſet loqui ſolum de formali eorum malitia, non contradiceret hæreſi illi Caluinianæ, quæ Deum peccati faciebat auctorem. Quam tamen hoc loco exprofeſsò damnat, vt fatentur etiam Aduerſarij. Quamuis enim Caluinus in Antidoto in hunc canonem, particulam illam, qua Deus dicitur mala noſtra opera permiſſiuè ſolùm operari, agnoſcat vt ſuæ hæreſi contrariam, eámque proptereà oppugnet pro viribus, dum ait. *Sed permiſſiuè tantùm agere Deum in malis, cui perſuadeant, niſi qui totam ſcripturæ doctrinam ignorat: magis enim vrgent ſententiæ, quæ reprobos teſtantur ſanctificatos eſſe ad opus Dei exequendum: eſſe eius retia, gladios, & ſecures, quæ manu eius reguntur excitari eius ſibilo: Conuenire ad peragenda, quæ Dei manus, & Concilium decreuit, & Chriſtum à Iudæis definito eius conſilio interemptum: quam vt permiſſionis ſuffragio elidi queant.* Quamuis (inquam) hæreſis Caluini (vt patet ex his verbis) contradictione opponatur huic Canoni, quatenus declarat Deum in malis permiſſiuè ſolùm operari: non tamen opponitur ſi ita explicetur Concilium, vt permitti velit non quidem actum peccati, ſeu liberam determinationem ad illum; ſed ſolam

formalis malitiæ conſecutionem:vis enim Caluini in eo eſt,vt homines,quatenus peccant, ſint gladij, & ſecures Dei manu directæ ad aliquid peragendum: quod ſanè non contradicit permiſſioni ſolius malitiæ formalis, ſed permiſſioni realitatis ipſius operis,& actus.

Et quod ad hoc attinet;tolli videtur omnis difficultas ex verbis,quæ Caluinus ſubiicit,inquiens. *Melius ergo Auguſt.qui citatis ſcripturæ locis,vbi,& Pater Filium tradidiſſe dicitur,mox ſubiicit. Quid ergo fecit Iudas niſi peccatum?* Et poſteà,*Nec verò*(inquit)*iure reprehendetur quod alibi ſcribit Auguſt.operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, ſiue ad bona pro ſua miſericordia, ſiue ad mala pro meritis eorum. Idq́ iudicio ſuo interdum aperto,interdum oculto:ſemper autem iuſto. Siquidem addatur exceptio, quam continuò adhibet. Malitiam non ipſius eſſe opus.* Ex his(inquam)verbis tolli videtur omnis difficultas:exprimit enim Caluinus in terminis illam diſtinctionem de peccato ſumpto pro formali malitia, ac de eodem accepto pro ipſo opere, atque actu materialiter: cúmque velit, peccatum formaliter, ſeu malitiam non eſſe opus Dei, hanc ipſam ſatis expreſsè concedit à Deo eſſe permiſſiuè ſolùm: ac propterea quod negat permiſſiuè ſolùm eſſe à Deo,eſt ipſa inclinatio, ſeu determinatio voluntatis ad malum, & actus ipſe ſecundùm ſuam realem entitatem. Quò fit,vt cum Concilio non pugnet, niſi quatenus in eo permiſſiuè tantùm fieri à Deo dicatur ipſamet entitas actus mali,& oppoſitum damnetur: quod ſanè,ſi damnatum non eſſet, Caluinus in propoſito egregius Catholicus videretur.

Occaſione

Occaſione cuiuſdam obiectionis explicatur concurſus Dei ad entitatem actus mali.

SEd obiicies, ſi actus peccati non ſolùm quoad formalem malitiam: ſed etiam quoad ſuam realitatem, ac entitatem eſſet à Deo permiſſiuè ſolùm, reperiretur aliquod ens: cuius Deus non eſſet cauſa efficiens etiam per concurſum generalem, cùm permiſſio, vt dictum eſt, ab operatione, atque efficientia contrà diſtinguatur.

Reſpondeo, negando ſequelam: permiſſio enim diuina contrà diſtinguitur ab illa Dei operatione, qua ipſe pro ſua libera voluntate faciat nos facere ita, vt ſic auctor, & prima radix determinationis, vt hic actus ſit potiùs quàm alius: non verò contrà diſtinguitur ab illa operatione, quæ in ſenſu infrà explicando ſequatur determinationem noſtram. Deus enim vt auctor naturæ tenetur ſe voluntati creatæ paratum præbere ad concurrendum ad oppoſita, vt ipſa vti poſſit ſua naturali libertate, & quia quantum eſt ex ſe vellet ſolum (voluntate antecedenti, & conditionata) concurrere ad actum bonum: ideò cùm ad productionem actus mali concurrit, eatenùs concurrit, quatenùs muneri auctori naturæ de potentia abſoluta deeſſe non vult, impediendo per ſubtractionem ſui concurſus vſum libertatis creatæ, ac propterea concurrit, quatenùs ſinit, vt influxus oblatus ab ipſo in actu primo ad oppoſita, per libertatem creatam determinetur ad hunc actum ſecundum, quantum eſt ex ſe, hoc eſt, voluntate antecedẽti nollet eſſe. Quò tandem fit, vt huiuſmodi generalis Dei concurſus

ratio

tationem habeat negationis impedimenti,& optimè cum ratione permiſſionis concilietur.

Tota hæc ſolutio nititur communi ſcholaſticorum doctrinæ, & præſertim S. Thomæ, qui 1. 2. quæſt.80.ar.1.ad 3.ait, *Ad 3.dicendum quod Deus eſt vniuerſale principium omnis interioris motus humani: ſed quod determinetur ad malum conſilium voluntas humana hoc directè quidem eſt ex voluntate humana: A diabolo autem per modum perſuadentis, & appetibilia proponentis*: quibus verbis apertè S.Tho.docet determinationem voluntatis humanæ ad actum malum directè tribuendam eſſe voluntati ſolùm humanæ, nullatenus autem Deo cum quo tamen conſiſtere putat generalem concurſum Dei, vt vniuerſalis, & primæ cauſæ ad huiuſmodi actum.

Confirmantur hæc ex eadem S.Tho.in 1.d.46. quęſt.1.ar.4.ad 3.vbi ad 3.(inquit) *dicēdum quod mala culpæ non fieri vult Deus voluntate antecedente: non autē voluntate conſequente, niſi de illis, quos ſcit mala non velle facere, quia voluntas conſequens recipit conditionem creaturæ.* His verbis agit S.Tho.de malis culpæ, non præcisè quoad formalē malitiā, ſed quoad ipſam entitatem, ac realitatem actus: quos enim Deus ſcit mala non velle facere, ſcit non quidem velle, vt ad entitatem actus malí moralis malitia non ſequatur: ſed velle ipſum actum malum, illiúſve entitatem liberè non perducere. Hoc autē poſito cùm S. Tho. doceat Deum antecedenter velle, vt mala culpæ non fiant: & diuinam voluntatem, creaturæ conditionem in propoſito recipere: ſatis etiā apertè docet determinationem ad producendam huius actus entitatem eſſe à volūtate humana: non autem à Deo, & Deum ita nolle antecedenter,

denter, vt hęc entitas ſit: vt eam etiam eſſe patiatur, ſuum concurſum non ſubtrahendo ; ſi conditio id exigat ex creaturæ libertate oppoſita.

Huc ſpectant quæ tradit Greg. in 2. d. 34. & 37. quæſt. 1. ar. 3. ad 8. cuius verba optimè explicāt quod initio Reſponſionis diximus, Deum ſequi in his determinationem voluntatis noſtræ: ſic igitur habet dum de actu peccati loquitur. *Deus ſequitur determinationem voluntatis, non quod determinatio voluntatis ſit aliqua entitas diſtincta à voluntate, & actu eius, quæ primo fiat à voluntate, ſicut imaginari videtur argumentum, nec etiam intelligendo, quod priùs natura volūtas agat actum illum, quàm Deus propriè loquendo de priori natura, quoniam tunc ſequeretur, quod poſſet illum agere, Deo non coagente, ſicut patet ex definitione prioris ſecundùm naturam. Sed ad hunc ſenſum dico, Deum ſequi determinationem voluntatis: quoniam ideò Deus agit illum actum, quia eum voluntas agit. Et non ideò, quia Deus agit, ideò voluntas agit: Et ideò magis proprie dicitur Deus coagere voluntati in talem actum cauſando, quàm voluntas dicatur coagere Deo.* Et rurſus ibidem reſpondens ad auctoritates contra ſe allatas, præmiſſa diſtinctione de nomine Auctoris, vt primò ſignificet agens totale, vel particulare, ſecundò vt ſignificet principale in agendo, & mouens aliam partialem cauſam ſpecialiter agens totale, vel particulare ſubdit. *Ad propoſitum cùm Deus negatur auctor malæ voluntatis, vel operationis accipitur nomen Auctoris ſecundo & non primo modo, quoniam licèt talem volitionem cauſet: non tamen ſicut totalis eius cauſa, ſed ſicut partialis: nec tamen in ſic agendo principalis, ita vt moueat voluntatem noſtram*

noſtram ad agendum, etiam faciat eam facere talem volitionem: aut modo aliquo ſuadeat, vel excitet: hoc enim opinari deteſtanda, & abominanda opinio eſt: & ad hunc ſenſum ibidem (id eſt ad articulos ſibi falsò impoſitos ar.10.) *locutum fuiſſe Aug. euidenter patet.* Quibus omnibus verbis nihil ad rem noſtram accommodatiùs excogitari poteſt: apertiſſimè enim tradit hic auctor determinationem totam ad mali actus entitatem liberè producendam eſſe à ſola voluntate creata, & Deum ideo ſolum ad illam ipſam entitatem concurrere, quia creata voluntas illam producit, cúmque permiſſionem diuinam à diuina operatione contrà diſtinguat, vt ſuprà vidimus: & tamen hoc loco ſimultaneum Dei concurſum ad actum malum concedat: atque ex profeſſò explicet, in quo ſenſu negari, aut concedi debeat, vt Deus ſit Auctor malæ operationis: ſatis profectò docet diuinam permiſſionem cum ea ſolum Dei operatione pugnare quæ faciat, vt faciamus: cum ſimultaneo verò concurſu qui modo explicato noſtram determinationem ſequatur optimè cohærere.

Eandem tradit doctrinam idem Greg. in 2. d. 26. 27. & 28. quæſt 1. ar. 3. ad 12. Quam approbat Capreol. ibidem quæſt. 1. ar. 3. ad 22. Eandem etiam ſatis exprimit Scot. in 2. d. 37. quæſt. 2. §. Ad ſolutionem, & per totam. Et alij complures quorum verba refert, atque optimè expendit Suarez in opuſc. lib. 2. de concurſu Dei ad act. mal. c. 3. ſub tit. Quid Scholaſtici ſenſerint de concurſu Dei ad actum malum. Atque ex his videtur ſatis confirmata noſtra reſponſio.

Alia

Alia obiectio contra noſtram reſponſionem proponitur, & diſſoluitur.

COntra eam tamen obiicies, quia ad generalem concurſum Dei vt cauſæ primæ non eſt ſatis concurſus duntaxat ſimultaneus, ſed neceſſaria eſt phyſica prædeterminatio. Ac propterea non poteſt per illum tantummodò concurſum explicari; qua ratione Deus concurrat ad realem entitatem actus mali.

Reſpondeo, negando antecedens: Et quamuis hoc loco probare non debeam ex profeſſo, in quo conſiſtat generalis concurſus cauſę primę omninò neceſſarius ad actionẽ omnem cuiuſcunque cauſæ ſecundæ. Quæ tamen ſuperioribus cc. attuli, ſicut probare videntur noſtram libertatem cum phyſica prædeterminatione non conſiſtere, ita etiam videntur ſatis oſtendere prædeterminationem illam non includi in generali concurſu: quo Deus libertatis vſum nobis non adimit, ſed tuetur.

Illud tamen hîc addi poteſt, concurſum Dei generalem ad entitatem actus peccati producendam, cum à Deo vt ab Auctore naturæ præbeatur, talem omnino eſſe, qualem exigit natura cauſæ ſecundæ cui præbeatur. Quæ tamen in propoſito nullã exigit prędeterminationẽ. Dum enim homo in ancipiti verſatur an liberè ferri debeat in oblatum à Dæmone ſibi propoſitum, nec ne, & meliùs eſſe iudicat illud reiicere quàm amplecti, vel ſaltem æquè bonum. Quid quæſo fingi poteſt eſſe in natura voluntatis, ratione cuius ipſa exigat prędeterminationem phyſicam ad actum malum?

Quod

Quod ſi dicas voluntatem elicere non poſſe actũ malum quandiu iudicat meliùs eſſe illum non elicere, aut æquè bonum : Ac propterea in caſu propoſito priùs debere moueri intellectum ad conſiderandam magis, ac magis rationem boni delectabilis, ac iudicandum hîc, & nunc obiectum hoc anteponendum eſſe oppoſito; vt voluntas poſtea liberè in ipſum fieri poſſit. Si hoc (inquã) dicas: difficultas nulla ex parte minuitur. Quicquid enim ſit de neceſſitate huiuſmodi iudicij: ſi Deus ipſe, aut per ſe, aut per aliam cauſam ab homine diſtinctam intellectum prædeterminat ad illam maiorem conſiderationem obiecti delectabilis: vel in natura intellectus humani, aut natura totius hominis oſtendendum eſt aliquid, quod hîc, & nunc huiuſmodi prædeterminationem requirat: vel fatendum eſt eam à Deo nullatenus eſſe vt ab Auctore naturæ: ſi verò dicatur intellectus moueri ab ipſa hominis voluntate; Cùm ad hoc in Aduerſariorum ſententia requiratur phyſica voluntatis prædeterminatio: quæri iterum poteſt quid fingi poſſit in voluntatis natura, vt ea dici poſſit hîc & nunc exigere hanc prædeterminationem ad hoc potiùs quàm ad oppoſitum. Cúmque nihil ad rem videatur excogitari poſſe; videtur effici, vt generalis Dei concurſus in ſolo con curſu ſimultaneo conſtituendus ſit.

Argumenta ex tertia propoſitione à Concilio damnata, Can. ſexto.

HActenus de ſecunda Propoſitione à Concilio damnata ſupereſt iam vt de tertia ſubiiciamus

ciamus nonnulla. Ex quibus vberiùs & confirmari poſſent quæ circa ſecundam allata ſunt.

Tertia igitur & poſtrema propoſitio in hoc Canone à Concilio damnata illa erat. Deus eodem modo operatur bona hominum opera, & mala, & ideò vtraque illi æquè tribuenda ſunt.

Hæc ipſa propoſitio ex Aduerſariorum ſententia deduci videtur: Vt enim ipſi ſentiunt bona opera noſtra eatenùs operatur Deus, quatenus per auxilium phyſicè prædeterminans facit vt illa faciamus; quia ergo iidem Auctores volunt nos phyſicè prædeterminari à Deo etiam ad actus malos pro tota eorum entitate; concedere etiam debent, æquè efficaciter à Deo fieri, vt hos ipſos actus faciamus: ac ipſum proinde horum, atque illorum eodem modo eſſe cauſam. Cùm præſertim ſicut Deus eſt qui nos diſcernit dum bona operamur; ita ipſi concedant eum, qui actum intrinſecè malum producit (addunt quatenùs actus eſt) diſcerni à Deo per auxilium actuale à non producente eundem actum.

Prima ſolutio propoſiti argumenti reijcitur.

PRima euaſio eſſe poteſt ſi dicatur diſcrimen in modo, quo Deus efficit bona, & mala hominum opera in eo eſſe, quod ad bona opera concurrat non ſolùm efficienter ex parte potentiæ; ſed etiam moraliter ex parte obiecti ſuadendo, atque alliciendo. Ad mala verò efficienter duntaxat ex parte potentiæ.

Sed contrà eſt, primò; quia ex Aduerſariorum ſententia motio moralis non tribuit rationem ve-

tæ,& propriæ, ſed metaphoricæ tantùm cauſæ ad quam vtpote non influentem agenti ipſum agere; non ſequatur effectus. Quare per huiuſmodi motionem non facit Deus, vt faciamus, quia vt ibidem contendit Aluarez, ſi Deus moueret nos ſolùm moraliter; ipſi dum operamur, diſcerneremus noſmetipſos à non operantibus; non verò diſcerneret Deus. Quamuis ergo ad bonum actū Deus ipſe concurrat cùm moraliter, tum etiam phyſicè prædeterminando. Ad malum verò; phyſicè tantùm prædeterminando; relinqui tamen videtur idem operandi modus in eo quod adeò præcipuum eſt, vt ipſum duntaxat ſpectandum videatur, quippe quod veram per ſe tantum Deo tribuat rationem cauſæ, cúmque conſtituat primam, ac perfectam originem determinationis vt hic actus ſit potiùs quàm non ſit.

Secundò contra eſt, quia motio moralis nihil eſt aliud niſi actus quidam intellectus quem à Deo eſſe, vt primo Auctore illi negare non poſſunt, qui ad illum requirunt phyſicam Dei prædeterminationem; quare merito. Modernus ille cuius ſæpe mentionem fecimus concedit tandem huiuſmodi actum eſſe à Deo vt actus eſt. Cùm ergo in Aduerſariorum ſententia ad actum peccati concurrat Deus, hominem phyſicè prædeterminando ad producendam totam ipſius entitatem; atque ad producendam etiam totam realitatem cuiuſcumque alterius actus prærequiſiti: & præterea prædeterminando, & applicando Diabolum, & aliam quamcumque cauſam de facto concurrentem ad proponendum obiectum rationi contrarium, atque ad alliciendum ad illud; nulla

nulla ſanè cauſalitas moralis, aut phyſica deeſſe videtur; vt propterea Deus dici poſſit alio, atque alio modo bona hominum opera, & mala operari.

Refellitur ſecunda ſolutio eiuſdem argumenti.

SEcunda euaſio eſt, vt dicatur ideò Deus non eſſe cauſa mali operis noſtri ſicut boni, quia dum benè operamur non ſolùm influit voluntati noſtræ agere, ſed etiam bene agere; Secùs autem in actibus peccatorum, quia cùm ad hos non ſequatur malitia moralis, vt procedunt à Deo: ſed ſolùm quatenus ſunt à voluntate deficiente. In his Deus licet influat nobis agere, non tamen influit malè agere.

Contrà tamen eſt, quia bonitas etiam moralis bonorum actuum non ſequitur ad entitatem ipſorum, vt procedunt à Deo, ſed ſolùm quatenùs procedunt à voluntate creata liberè operante iuxta præſcriptum rationis; bonitas enim illa moralis fundatur in libertate, quam habet ille actus reſpectu voluntatis creatæ, quæ libertas non eſt in illo, vt procedit à Deo; ſed ſolùm ex modo, quo procedit à cauſa creata: quò fit vt cum idem planè actus emanat ab amante, deſit illi bonitas moralis; quamuis Deus eadem prorſus ratione influat in entitatem illius, qua influit quando à cauſa creata liberè producitur, & cum bonitate morali: ſi ergo Deus ideò non eſt cauſa peccati, quia malitia non ſequitur ad entitatem actus, vt producitur à Deo; ita eadē ratione, neq; erit cauſa actus boni, quia bonitas moralis non ſequitur ad entitatem illius actus vt procedit à Deo, ſed ſolùm

lùm vt procedit à cauſa libera creata. Et ſicut Deus verè eſt cauſa ſimpliciter noſtri actus boni, quia facit, vt verſemur cum perfecta cognitione hîc, & nunc circa obiectum honeſtum : ita eodem modo erit ſimpliciter cauſa noſtri actus mali: quia, vt concedunt Aduerſarij, Deus eſt cauſa prima, & prima radix determinationis, vt homo hîc, & nũc cum tali aduertentia rationis eliciat actum circa obiectum rationi contrarium. Nec refert, quod Deus malitiam formalem actus mali, non intendat verò bonitatem actus boni : quia hîc ſolùm quæritur de modo, quo Deus efficit actum bonum, & malum; non verò de intentione qua vtrumque efficit: præterquàm quod non requiritur, vt aliquis ſit Auctor, & cauſa peccati alterius; vt intendat formalem malitiam ipſius actus, vt patet in eo, qui ex intentione ſolius participationis lucri aliquem inducit ad furandum: & in ſexcentis aliis exemplis : vix enim vnquam continget, vt homines tam improbi ſint, vt ex intentione malitiæ moralis aliquem ad peccandum impellant.

Tertia ſolutio Aduerſariorum confutatur.

TErtia denique euaſio eſſe poteſt, vt dicatur non ſequi ex eo quòd Deus ſit Auctor actus peccati, & prima origo determinationis ad illum ſecundùm totam ipſius entitatem, vt ſit abſolutè cauſa peccati, quia ad hoc requiritur vt attingat ipſam formalem malitiam, cuius tamen Deus non eſt cauſa.

Sed contrà eſt primò, quia ſi debet quis immediatè efficere malitiam formalem, vt ſit Auctor,

ctor, vel cauſa peccati alterius; neque Diabolus, neque vllus hominum ſuadens alteri peccatum; erit cauſa illius vlla ratione., quia nullus attingit malitiam moralem immediatè; ſed eatenùs tantùm eius eſt cauſa, quatenùs mouet,ac impellit ad actum quem ipſa inſeparabiliter comitatur. Quod ipſum ſi non eſſet ſatis,nullus etiam videretur eſſe cauſa peccati in ſe ipſo, quia nullus producit malitiā formalē ſui actus praui,niſi quatenùs entitatē actus producit;cui malitia illa annexa eſt.

Secundò, contrà eſt, quia vbi quæritur abſolutè, & ſimpliciter cauſa peccati alterius non quæritur cauſa immediatè attingens malitiam moralem, ſed cauſa mouens; atque inducens aliquem ad liberum actum cuius obiectum ſit rationi contrarium.Sic enim S.Tho.de malo,quæſt. 3.ar.1.& 3.& 1.2.q.75.per totam, & quæſt. 80.art. 1.2.& 3. dum agit de cauſa peccati, ſolum agit de cauſa inducente ad actum ipſum peccati liberè eliciendum; & cum perfecta cognitione ſingulorum in quibus eſt actio: qua de cauſa quæſt.80. citat.ar.1.ſic habet. *Reſpondeo dicendum quod peccatum quidam actus eſt.Vnde hoc modo poteſt eſſe aliquid directè cauſa peccati per quem modum aliquis directè eſt cauſa alicuius actus:quod quidem non contingit niſi per hoc,quod proprium principium illius actus mouet ad agendum: proprium autem principium actus peccati eſt voluntas. Vnde nihil poteſt directè eſſe cauſa peccati,niſi quod poteſt voluntatem mouere ad agendum.* Quibus verbis expreſsè docet illud agens facere alterum peccare (in quo de malo quæſt.3.ar.1.dixerat conſiſtere rationem Auctoris peccati alieni)quod voluntatem ipſius mouet, ac inducit ad malum actū,

ſeu mali actus entitatem producẽdam. Hinc enim tum hoc ipſo ar. 1. tum aliis citatis ex eo probat nec Dæmonem, aut hominem proponentem obiectum rationi contrarium, ac ſuadentem, & allicientem ad illud nec obiectum ipſum propoſitum, nec appetitum ſenſitiuum eſſe ſufficientes cauſas peccati, quia cùm ſatis non ſint ad efficiendum vt homo ſe determinet ad actum peccati non ſunt ſatis vt faciant illum peccare. Quamuis ergo Deus non efficiat immediatè, & per ſe formalem malitiam noſtri actus praui: ſi tamen efficaciter inducit nos ad motum auerſionis ab ipſo: tam verum eſt eum eſſe noſtri peccati auctorem, quàm verum eſt ipſum facere, vt voluntas noſtra eo ipſo quod elicit illum motum ab vltimo fine auertatur: vt patet ex S. Tho. de malo quæſt.3. art. 1. Et tantum abeſt, vt requiratur in propoſito propria, & immediata effectio ipſius malitiæ moralis, vt, ſi S.Tho. credimus 1. 2. quæſt. 75. ar. 1. huiuſmodi malitia non aliã poſſit habere cauſam quàm per accidens, cùm ſequi debeat ex illa cauſa, quæ ſi ad actum ipſum illiúſve entitatem referatur; eſt cauſa per ſe. Ex his verò poteſt obiter explicari, quod præter alios Scholiaſticos paſſim docet S. Tho. actum ſcilicet peccati quatenus ens eſt, eſſe à Deo: non enim fruſtrà vtitur terminis mouendi, ac inducendi ad actum; quando agit de cauſa peccati; nec fruſtra eorumdem terminorum mentionem omittere ſolet, cùm quærit: an actio peccati ſit à Deo. Ne enim Deus Auctor efficiatur peccati, negat ipſum inducere voluntatem humanam ad producendum cum perfecta cognitione actum peccati, ſeu entitatem illius. Ne verò ens aliquod crea-

tum eſſe concedatur, quòd à Deo non pendeat: fatetur actum prauum; quatenùs ens eſt, eſſe à Deo, non vt inducente ad illum; ſed vt non ſubtrahente ſuum neceſſarium concurſum voluntati, quæ dum ad illum ſe determinat abutitur ſua libertate, & influxu diuino in actu primo ad oppoſita ſibi ablato. Quam diſtinctionem ſatis expreſſit S. Tho. in reſpõſ. illa ad 3. alias citata p. 2. q. 80. art. 1. Vbi ait, licèt Deus ſit vniuerſale principium omnis intentionis motus humani; quòd tamen determinetur voluntas humana ad malum conſilium, hoc non eſſe à Deo; ſed ab ipſa in quo S. Thó. ſecum ipſe conſentit de malo, quæſt. 3. ar. 2. Vbi docet non à motione diuina; ſed à diſpoſitione voluntatis creatæ oriri; vt malæ potiùs actiones quàm bonæ ſequantur. Atque ex his videtur ſatis reiecta poſtrema illa euaſio, pro qua tamen.

Inſtantia quædam Aduerſariorum proponitur, & reiicitur.

OBiicies, quia licèt Deus ſit Auctor generationis humanæ, non tamen eſt Auctor culpæ originalis, quę per generationem contrahitur, quęque in anima rationali eſt, vt in ſubiecto, quam ſolus Deus liberè creat. Ergo ſimiliter quamuis Deus Auctor ſit entitatis actus quo actualiter peccatur: poterit tamen non eſſe Auctor formalis malitiæ, quæ illi entitati inhæret.

Reſpondeo negando conſequẽtiam, quòd enim fieri non poſſit, vt Deus Auctor ſit entitatis peccati actualis liberè elicitæ, ſeu vt ad illam inducat; & tamen non ſit cauſa peccati; ſatis conſtare ducimus ex iis, quæ paulò ſuprà attulimus, præſer-

tim ex S.Tho.agente de cauſa peccati actualis .Nõ tamen ſimili ratione ſequitur, vt Deus ſit cauſa peccati originalis, quia eſt cauſa humanæ generationis, & animæ rationalis. Nam,vt omittam,animam rationalem non ita ſe habere ad peccatum originale, ſicut entitas liberè producta peccati actualis ad peccatum actuale: tum quia huiuſmodi entitas componit ipſum peccatum actuale; & ipſamet, ſeu actus cuius eſt entitas denominatur peccatum actuale; quod animæ rationali; reſpectu peccati originalis, non conuenit: tum quia non ita ſequitur ex natura rei culpa originalis ad animam rationalem ex humana generatione; ſicut ad entitatem actus intrinſecè mali cum perfecta cognitione elicitam ſequitur malitia moralis: nam hanc non ſequi (præſcindendo etiam ab omni extrinſeco)implicat contradictionem: culpam verò originalem non ſequi ad animam rationalem ex communi hominum generatione, non implicat, ſi à præuaricatione Adæ præſcindamus: quæ præuaricatio generationi humanæ,ac ipſi animæ extrinſecum quid eſt, ac per accidens. Vt hæc (inquam)omittam,animaduertendum eſt ad peccatum originale proprium cuiuſque hominis qui naſcitur, intrinſecè requiri, vt illi ſit voluntarium voluntate ſaltem illius cum quo quilibet particularis homo vnum aliquo modo conſtituit, vt explicant S. Tho. & Caiet. 1. 2. q. 81.ar. 1. Hinc enim fit vt Deus creando animam rationalem, & concurrendo ad generationem humanam non faciat hunc hominem genitum originaliter (vt ita dicam) peccare, vel non ſit cauſa peccati originalis in hoc homine genito: quia non facit, vt huic

homi

homini ipſum originale peccatum voluntarium ſit: Eſt enim duntaxat voluntarium, vt explicat Caie. loco citato quatenùs hic homo genitus eſt aliquid voluntatis Adæ, vt liberè elicientis actum illum ratione cuius primò, & per ſe voluntarius Adæ fuit huiuſmodi defectus; quamuis autem dici poſſit Deus facere per creationem animæ rationalis ſimul cum concurſu ad humanam generationem, vt hic homo ſit membrum Adæ tanquam capitis: & conſequenter ſit aliquid voluntatis illíus. Non tamen facit vt ſit aliquid illius voluntatis quatenùs illi eſt voluntarius huiuſmodi defectus; quia hoc ab eo tantum fieri poteſt, qui efficiat vt hic ipſe defectus ſit voluntarius Adæ: Deus autem nulla ratione dici poteſt Auctor inducens ad illam volitionem Adæ ratione cuius hic defectus originalis per ſe primo fuit voluntarius illi, & per illum poſteris omnibus. Ex quo tandem fit vt Deus non faciat, vt hic homo contrahat peccatum originale, ſeu non faciat peccatum originale in hoc homine, licèt creet animam illius, & concurrat ad ipſius generationem. Cùm tamen in peccato actuali optimè ſequatur, vt diximus, vt Deus ſit Auctor illius ſi phyſicè prædeterminat ad entitatem ipſius cum perfecta cognitione producendam, quia eo ipſo facit, vt homini ſit voluntarius defectus actualis eo modo, quo voluntarius eſſe debet, vt homo actualiter peccet.

Atque hęc de Canone 6. & tota 6. ſeſſ. quantum ad cauſam propoſitam facere videbatur. Omnia autem, & ſapientiorum iudicio, S. R. E. correctioni libentiſſimè ſubiicio.

OPVSCVLVM THEOLOGICVM FRANCISCI DIOTALLEVII.

De ſcientia, quam Deus habet de contingentibus ſub conditione futuris priùs ratione quàm liberè quidquam decernat.

PROEMIVM.

SVPERIORI Opuſculo, dum egimus de concurſu Dei ad actus liberos volũtatis creatæ; adiumento nobis aliquoties fuit ſcientia illa, qua Deus nouit ante liberam quamcumque ſuæ voluntatis operationem futura illa contingentia, quæ conditionata dicuntur. Sed quoniam de hac ipſa ſcientia, non minor eſt inter Catholicos controuerſia, quã de ipſomet concurſu diuino: ideò ne aliqua ex iis, quæ attulimus, nutare quodammodo videantur; contendendum eſt in præſentia, vt oſtendamus huiuſmodi ſcientiam Deo nequaquam eſſe denegandam: cùm præſertim tàm eximius ſit illius in Theologica facultate vſus, vt quæſtiones alioqui obſc-

obſcuriſſimæ, atque ineſtimabiles eius beneficio apertiſſimè & planiſſimè explicentur. Poſſet autem controuerſia hæc in plures quæſtiones diſtribui, vt ſcilicet primo loco in dubium vocaretur: An Deus contingentia ſub conditione futura ſimpliciter præſciat: deinde, an de illis cognitionem habeat omninò certam. Tertiò denique, in quo ſigno rationis huiuſmodi cognitio illi inſit: num ſcilicet ante omnem liberam voluntatis operationem; an poſt aliquam, ex qua eorumdem futurorum obiectiua veritas ortum ducat: ſed quia in prima, & ſecunda quæſtione cum Auctoribus phyſicæ prædeterminationis nulla eſt nobis in præſentia diſſenſio. Hinc fit vt ad inſtitutum noſtrum tertia duntaxat quæſtio pertineat, in qua magna nobis ſupereſt cum eiſdem auctoribus diſceptatio, qui ad phyſicam prædeterminationem tuendam aliqua illius fundamenta in huius quæſtionis tractatione iacere conantur. Hac igitur de re ſolùm agemus, An ſcientia, qua Deus contingentia conditionaliter futura nouit à libera aliqua ipſius operatione pendeat, qua de his ipſis futuris quidpiam decernat: An verò liberam omnem operationem anteuertat; Diſputabimus autem de re ipſa, non de nomine, hoc eſt, An huiuſmodi ſcientia appellanda ſit ſcientia media, necne: dum enim rem teneamus, facilè aliorum arbitratui nomen relinquemus; quamuis non dubitem (vt hos obiter attingam) ſcientiã hanc in antiquis diuinæ ſciẽtiæ diuiſionibus omninò contineri: Non enim intermedia eſt inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, quia cùm feratur in res ſub ea ratione, ſub qua non includunt exiſtentiã actu, & realiter
exerci

exercitam, hoc ipſo ſub ſcientia ſimplicis intelligentiæ continetur: nec rursùs dici debet intercedere inter ſcientiam naturalem,& liberam:quia ſi liberam ſcientiam vocemus eam, cuius obiectum ſub ea ratione, ſub qua eſt obiectum,poteſt aliter ſe habere: nec ſcientia conditionalium erit libera; nam contingentia, quæ de facto ſunt ſub conditione futura, & ſub hac ratione terminant diuinam cognitionem; potuerunt pro cauſæ ſecundæ contingentia, & libertate, ſub eadem conditione non eſſe futura: ſi verò ea tantùm dicatur libera ſcientia, quæ libero aliquo diuinæ voluntatis decreto poſterior eſt: omnis planè ſcientia, quæ liberum quodcumque decretum antecedat, (qualis eſt hæc, de qua agimus) naturalis: ac proinde huiuſmodi ſcientia nulla ratione erit media; ſed ſub alterutro membro continebitur: ſed iam quæſtionem de re ipſa aggrediamur, in qua illud potiſſimùm nobis propoſitum erit: vt ſententiam S. Tho. accuratiſſimè inueſtigemus, ac explicemus.

CAPVT I.

Refertur opinio negans habere Deum certam ſcientiam horum futurorum priùs ratione quàm aliquid de ipſis decernat. Et ordo in ea confirmanda ſeruandus innuitur.

DOctores qui cauſas ſecundas etiam liberas à Deo prædeterminari putant ad ſingulas actio

actiones, cùm animaduertant diuiſionem gratiæ in ſufficientem, & efficacem, & prædeſtinationis certitudinem, atque alia permulta, omni prorſus prædeterminatione reiecta egregiè explicari poſſe huius ſcientiæ beneficio, ſi Deo ineſſe dicatur priùs ratione quàm vllum actum liberum habeat: hinc omnes neruos in eo contendunt, vt ſuadeant ſcientiam contingentium ſub condictione futurorum Deo tribui non poſſe, niſi poſt liberum aliquod ipſius decretum, à quo ratio conditionalis futuri in ipſa contingentia deriuetur. Vt, nimirum, ſublato ſcientiæ huius vſu ad explicanda ea, quæ commemorauimus, colligere ipſis liceat phyſicæ prædeterminationis neceſſitatem. Aiunt ergo futura conditionata, quæ ſignificantur per conditionales propoſitiones, in quibus dictio (ſi) accipitur illatiuè in rigore conſequētiæ: ſi conſequentia ſit bona cognoſci certò à Deo per ſcientiam merè naturalem, quæ liberum omne decretum antecedit: quia ſcilicet cùm ſit ex natura rei neceſſaria connexio inter antecedens, & conſequens, futura huiuſmodi conditionalia ſub hac ipſa ratione ſunt neceſſaria, non autem contingentia: ex quo fit, vt ne fingi quidem poſſit, opus eſſe ad ea cognoſcenda libero vllo decreto. Atque hac in re nulla eſt controuerſia.

Alia verò futura conditionata, in quorum propoſitionibus dictio (ſi) non importat neceſſariam illationem; ſed concomitantiam antecedentis cum conſequente, eò quòd antecedens in rerum natura futurum non ſit ſine conſequente. Quæ in ratione conditionalis futuri contingentia ſunt, quia conſequens cum antecedente, ſeu cum conditio-

ditionibus neceſſariam connexionem non habet: Huiuſmodi (inquam) futura ante decretum diuinæ voluntatis prædeterminantis, vt adimpleta conditione hoc aut illud ſit, contendunt hi Auctores nullatenus à Deo certò cognoſci vt futura, ſed ſolùm vt poſſibilia; ita vt quos actus producturus eſſet quilibet homo, ſi in hoc, vel illo ordine rerum conſtitueretur: non aliter Deus intelligat quàm per liberum ſuum decretum, quo ſtatuit, vt homo in hoc, vel illo ordine collocatus hos, aut illos actus eliciat. Hanc verò ſententiam pluribus probare conantur; non tamen omnia (ni fallor) attingunt ad eam, ſaltem in ſpeciem confirmandam aptiora, quæ ſanè in medium afferenda ſunt, vt pluribus iiſque validioribus argumentis poſteà dilutis oppoſitæ opinionis veritas faciliùs appareat. Proferam igitur ea, quæ mihi iamdiu difficultatem viſa ſunt continere non ſpernendam, in quibus licèt magna ſaltem ex parte contineātur argumenta ab aliis allata, ſi qua tamen præterita videbuntur, ea ſigillatim afferemus poſteà, & diſſoluemus: quamuis facilè mihi perſuadeam futurum, vt ſua ſponte corruant, refutatis iis, quę grauiora mihi, ac firmiora videntur. Hæc autem tripartitò diſtribuam, vt primo loco afferam argumenta ab auctoritate S. Th. petita. Poſteà rationes Theologicas proponam: Tertiò denique oppugnem ea, quæ ad oppoſitam ſententiam explicandam, aut confirmandam ab Auctoribus ipſius excogitata ſunt. Rem ipſam ergo aggrediamur.

CAPVT II.

Propoſita ſententia probatur auctoritate S. Thomæ.

HÆc opinio non ſine magna quadam ſpecie probabilitatis videtur ex doctrina S.Tho. probari poſſe hoc pacto.

In ſententia ipſius nulla alia ratione Deus poteſt certò cognoſcere futura contingentia abſoluta quàm intuendo illa per viſionem, quæ in ea feratur ab æterno vt coëxiſtunt æternitati pro certa differentia temporis; atque ab æterno ea reſpiciat, prout in ſua differentia temporis actu ſunt extra cauſàs. At hoc falſum eſſet, ſi Deo ineſſet certa ſcientia contingentium ſub conditione futurorum ante omnem actum liberum. Ergo in ſententia S.Tho. falſum eſt huiuſmodi ſcientiam ea ratione Deo eſſe tribuendam. Maior accipi poſſet tanquam conceſſa à ſectatoribus opinionis contra quam argumentamur:Illi enim (vt patet ex Suarez in Opuſc. lib. 1. de concurſu Dei cap. 14.ſub titulo ſcholaſticorum teſtimoniis eadem veritas roboratur)ex hac ipſa propoſitione probare ſolent phyſicam prædeterminationem S. Thomæ prorſus ignotam fuiſſe,quia, nimirum, ignotus eidem fuit modus alius certò cognoſcendi futura cõtingentia abſoluta ab æterna viſione actualis ipſorum exiſtentiæ diſtinctus, quem phyſica prædeterminatio ſuppeditaret : ſed non deſunt præterea S. Thomæ acThomiſtarũ clariſſima teſtimonia,quæ maiorem illam propoſitionẽ certiſſimã reddant.

Vtrum

Vtrum verò argumentum quod vrgemus: ad hominem præſertim firmiſſimum eſt, quia (vt indicauimus) eadem prorſus ratione agimus contra eos qui ſcientiam illam conditionalium Deo tribuunt ante decretum: quia ipſi contra Auctores phyſicæ prædeterminationis ſcientiam hanc pro eo rationis ſigno negantes agere ſolent. Iam quod attinet ad maiorem noſtram propoſitionem; vt, ſcilicet, Deus eatenus tantùm futura contingentia abſoluta cognoſcat, quatenus ea videt vt præſentia æternitati, atque extra cauſas. Illa conceptis verbis haberi videtur apud S. Thomam vbicunque agit de cognitione diuina huiuſmodi futurorum, hoc eſt in 1. diſt. 38. ar. 5. q. 1. contra gen. c. 67. quæſt. 2. de verit. ar. 12. quæſt. 16. de malo ar. 7. & p. p. quæſt. 14. ar. 13. Hinc p. p. loco citato ad ſecundum pro eodem accipit, vt futurum contingens ſubſit certę ſcientiæ Dei, atque ſit in ſua præſentialitate, ſeu extra cauſas inquiens. *Et ſimiliter ſi dicam: ſi Deus ſcit aliquid illud erit: conſequens intelligendum eſt, prout ſubeſt diuinæ ſcientiæ, ſcilicet, prout eſt in ſua præſentialitate: & ſic neceſſarium eſt, ſicut & antecedens, quia omne quod eſt dum eſt, neceſſe eſt eſſe, vt dicitur in 1. Periherm.* Et propterea in 1. ſentent. ar. 5. citato, dum vult Deum certò cognoſcere futura contingentia intuendo illa, vt actu ſunt extra cauſas, excludit expreſsè per particulam (niſi) quemcunque alium modum ex certo cognoſcendi. In reſp. enim ad tertium, dum loquitur de futuro contingenti ait, *Ideò dicitur quod in ſe cōſideratum eſt contingens, ſed relatum ad Dei cognitionem eſt neceſſarium, quia ad ipſam non refertur, niſi ſecundùm quod eſt in eſſe actuali: & ideò ſimile eſt: ſicut ſi ego videam ſortem præſentialiter currere.*

currere.Et rurſus in reſp.ibidem ad quartum agens de eadem re, ait: *Quia iſta res non ponitur ſubiacere ſcientiæ diuinæ,niſi dum eſt in actu ſecundùm quod determinationem,& certitudinem habet: ipſam enim neceſſe eſt eſſe dum eſt*.Denique in reſp.ad 6.vbi agit de reſpectu, quo diuinus intellectus per certam ſciẽtiam hæc ipſa contingentia futura reſpicit,vt obiecta: ſic habet. *Ad ſextum dicendum quod, quamuis iſte reſpectus ad rem, ſit inſeparabilis ſecundùm quod attingit eam; non tamen attingit eam,niſi prout eſt in eſſe actuali ſuo præſentialiter conſiderata*. In his igitur ita continetur noſtra illa maior, vt nihil clariùs atque expreſſiùs videatur optari poſſe.

Huc accedit quod idem S. Thom.p.p.quæſt. 14.ar.13.citato hæc ſcribit. *Contingens aliquod dupliciter poteſt conſiderari vno modo in ſeipſo ſecundùm quod iam in actu eſt: & ſic non conſideratur vt futurum,ſed vt præſens,neque ad vtrumlibet contingens; ſed vt determinatum ad vnum:& propter hoc ſic infallibiliter ſubdi poteſt certæ cognitioni,vtpote ſenſui viſus, ſicut cùm video ſortem lædere. Alio modo poteſt conſiderari contingens, vt eſt in ſua cauſa:& ſic conſideratur, vt futurum, & vt contingens nondum determinatum ad vnum:quia cauſa contingens ſe habet ad oppoſita:& ſic non ſubditur per certitudinem alicui cognitioni*. Quibus apertè docet S. Thom. rem contingentem eatenùs eſſe futuram, quatenùs eſt in potentia, & in cauſa, quæ ad vtrumlibet ſe habet:ac proinde ab ipſo etiam Deo eatenùs ſolùm poſſe certò cognoſci,quatenùs videtur,vt eſt extra cauſas actu exiſtens, & præſens æternitati. Qua de cauſa quæſt.2.de verit.ar.12.ait:*Ex quo patet quod contingens, vt futurum eſt per nullam cognitionem, cui falſi-*

tas ſubeſſe non poſſit, cognoſci poteſt; vnde cùm diuinæ ſcientia non ſubſit falſitas, nec ſubeſſe poſſit impoſsibile eſſet quod de contingentibus futuris ſcientiam haberet Deus, ſi cognoſceret ea vt futura ſunt. Atque eandem omnino doctrinam tradit S. Thom. aliis locis ſuprà citatis : ex qua videtur exploratiſſimum illud eſſe ; vt in ſententia S. Thom. non aliter poſſit Deus certò cognoſcere futura contingentia abſoluta, quàm cognoſcendo illa, vt non ampliùs futura, hoc eſt, vt non ſunt in potentia cauſſarum, ſed vt actu exiſtunt præſentia æternitati. Quod ipſum, vt magis ac magis confirmetur, addi poteſt communis Scholaſticorum conſenſus in intelligenda ſententia S. Thom. in ſenſu à nobis explicato. Ex Thomiſtis enim ita eam intelligit Capreol. Princeps Thomiſtarum in 1. d.38. quæſt. 1.ar.2. per totum, vt conſtat legenti. Ita etiam eam intelligit Ferrar. 1. contra gen. cap. 66. §. ad 2. dub. & cap. 67. Ita præterea eam intelligit Caie. p.p.q. 14.ar.13 §. Dicit 2. Derſa Hyſpalen in p.d.38: quæſt. 1.ar.1.concl.2.& 3.& ar.4. ad 7. Aureoli contra tertiam concluſionem, & in præmiſſis pro reſponſione ad argumenta Grego. contra quartam concluſionem Aquat. in addit. in Capreol. lib. 1. ſent. diſt. 38. conclu. 6.& ſequentibus. Cathar. toto libello de præſcientia & Prouidentia Dei ; Franciſcus à Chriſto in p. diſt. 39. quæſt. 6. & Palat. diſt. 38. quæſt. 2. Aureol cap. 1. diſt. 38. ar. 1. Scot. in 1. diſt. 39. quæſt. 1. & ibi Lichett. atque alij Scotiſtæ. Ex quibus patet ſententiam S. Thomæ à nobis explicatam adeò perſpicuam eſſe, vt de ea inter antiquos, & doctiſſimos S. Thomæ diſcipulos omnis planè ſuſpicionis expertes, atque inter ipſos etiam

S. Thom.

S. Thom. Aduerſarios nulla vnquam potuerit eſſe diſſenſio. Maneat ergo, veriſſimam eſſe illam maiorem propoſitionem, vt, ſcilicet, in ſententia S. Thom. hac vna ratione certò cognoſcat Deus futura contingentia abſoluta, quatenùs ea intuetur ab æterno, vt actu exiſtentia in certa differentia temporis; atque vt præſentia æternitati.

Iam redeamus ad minorem, in qua dicebamus falſum eſſe id quod in maiori continetur, ſi Deus habeat ſcientiam contingentium ſub conditione futurorum ante omnem liberum actum. Minor hæc probatur, quia propter illam ſcientiam conditionatorum alio modo poteſt Deus certò cognoſcere futura contingentia abſoluta quàm intuendo actualem eorum exiſtentiam.

Si enim Deus nouit futurum, vt Petrus hoc tempore liberè loqueretur; ſi hæc vel illa occaſio ſeſe offerret: ſicut priùs purificatur conditio quàm actu èxiſtat loquutio, quæ ab ea conditione pendet; ita priùs videt Deus adeſſe conditionem, quàm videat loquutionem actu exiſtentem: Dum verò videt adeſſe conditionem, hoc ipſo cognoſcit futurum conditionale tranſiiſſe ad rationem futuri abſoluti: ac propterea abſtrahendo à viſione loquutionis vt actu exiſtentis, ipſam loquutionem ſcit certò futuram abſolutè ex eo præcisè quod videt ipſam conditionem: quam videt non modò priùs quàm videat loquutionem exiſtentem, ſed etiam priùs quàm videre poſſit liberum ſuum decretum de concurrendo ſimul cum Petro immediatè ad actum loquutionis: cuiuſmodi decretum antecedere omninò debet tanquam

H 2 cauſa,

cauſa, exiſtentiam loquutionis, & cognitionem illius. Ad hanc enim duo diuina decreta requiruntur: Alterum, quo Deus liberè ſtatuat concurrere, vt Petrus in ea occaſione collocetur, in qua liberè eſt loquuturus: Alterum verò quo liberè ſtatuat immediatè cooperari Petro in ea occaſione conſtituto ad actum loquutionis: quod poſterius decretum adeò diuerſum eſt à primo, vt ab illo ſeiungi poſſit. Eo ipſo igitur quod primum decretum adeſt nihil ampliùs requiritur, vt iuxta ſententiam S.Thom. Petrus intelligatur à Deo, vt in illa ipſa occaſione actu exiſtens, cúmque nondum intelligatur eſſe ſecundum decretum: ſed adhuc pro diuina libertate poſſe eſſe, & non eſſe: fit vt à Deo videatur purificata conditio priùs quàm ſit illud decretum, quod ad efficiendam & videndam loquutionis exiſtentiam prærequiritur.

Confirmatur eadem minor, quia poſita huiuſmodi ſcientia futurorum conditionatorum Deus ante omnem liberum actum ſuum certò cognoſcit, exempli cauſa, hanc maiorem propoſitionem, ſi Petrus conſtituatur in his circumſtantiis loquetur. Rurſus poſito decreto de concurrendo ad Petrum in illis ipſis circumſtantiis conſtituendum, eo ipſo præcisè abſtrahendo à viſione actualis loquutionis, & quocumque alio: cognoſcit Deus hanc minorem: Petrus eſt in his circumſtantiis. Ergo eo ipſo præſcindendo ab actuali exiſtentia loquutionis, & viſione illius, ac alio quocumque, ſcit in eo ſigno rationis (in quo nondum eſt decretum abſolutum de concurrendo ad Petri loquutionem) Petrum ipſum abſolutè eſſe loquu

loquuturum. Conſequentia eſt ſatis euidens: nam ſi in intellectu creato, qui naturaliter non poteſt priùs quàm res exiſtant ; habere actum quo earum exiſtentias videat; ponatur certa cognitio illarum duarum propoſitionum per reuelationem; eo ipſo ille intellectus in eodem ſigno rationis cognoſcet Petrum certò , & abſolutè loquuturum, etiamſi loquutionem ipſius vt actu exiſtentem minimè intueatur. Ergo multò magis hoc ipſum tribuendum eſt Deo qui earum præmiſſarum veritatem longè perfectiùs percipit, quàm poſſit ab vllo intellectu creato percipi per reuelationem, aut quacumque ratione. Et ſanè ſatis per ſe abſurdum apparet, vt qui habet euidentem cognitionem maioris , & minoris propoſitionis alicuius Argumenti in recta forma conſtituti, non habeat eo ipſo euidentem cognitionem (ſemoto quocumque alio in præmiſſis non contento) conſequentis, quod per bonam conſequentiam ex illis præmiſſis infertur. In propoſito autem illæ propoſitiones ; ſi Petrus conſtituatur in his circumſtantiis loquetur: Petrus eſt in his circumſtātiis: ſunt maior, & minor argumenti optima forma præditi. Ex quibus per optimam conſequentiam infertur , vt Petrus abſolutè ſit loquuturus: Et loquutio, vt actualis, eſt ratio obiectiua poſterior nullo modo in præmiſſis contenta. Reliquum ergo eſt, vt ſi Deus antequàm videat loquutionem Petri actu exiſtentem, certam habet illarum præmiſſarum cognitionem ; certò etiam cognoſcat Petrum abſolutè loquuturum, priùs quàm videat ipſius loquutionem , vt actu exiſtentem , ac præſentem æternitati : Ac proinde vt contra ſenten-

tiam S. Thom. alia etiam ratione Deus certò cognoſcat futura contingentia abſoluta quàm intuendo illa quatenus actu ſunt extra cauſas. Id quod expreſsè fatetur Molina p.p. quæſt. 14. ar. 13. diſp. 14. §. 2. Deus. Vbi ex eo quod Deus nouerit ante omne decretum contingentia futura ex hypotheſi, ſi ipſe hunc, aut illum ordinem rerum cum his, aut illis circumſtantiis creare vellet: infert, vt eo ipſo quod liberè elegit hunc ordinem rerum quem re ipſa elegit; in ipſamet electione priùs noſtro intelligendi more cum fundamento, in re cognouerit contingentia abſolutè futura, quàm aliquid non modò in tempore, ſed etiam in æternitate extiterit, & videri potuerit, vt præſens, ac extra cauſas.

Reijcitur prima reſponſio, quæ ad vim allati argumenti eneruandam afferri poſſet.

AD hoc argumentum ſatis iam (vt opinor) confirmatum reſponderet fortaſſe quiſpiam; rectè quidem per ipſum probari modum quẽdam certò cognoſcendi futura contingentia abſoluta diſtinctum à viſione quæ in ea feratur, quatenus æternitati præſentia ſunt: ſed tamen quia in hoc modo intrinſecè includitur imperfectio diſcurſus: non poſſe ipſum tribui Deo: Ac propterea licèt in Deo conſtituatur ſcientia contingentium ſub conditione futurorum ante omnem actum liberum, iuxta ſententiam tamen S. Tho. dici debere futura contingentia abſoluta, non aliter ab eo certò cognoſci, quàm per æternam viſionem, quæ ab æterno ea reſpiciat, vt in ſua differentia temporis

ſunt

ſunt ſunt extra cauſas: quia ſcilicet hæc ſola ratio cognoſcendi ſupereſt expers eius imperfectionis, quæ nequeat cum diuinitate conſiſtere.

Sed contrà eſt, quia non minùs pugnat cum perfectione intellectus diuini, vt ab eo ratio aliquã obiectiua non cognoſcatur, quæ in ſe cognoſcibilis ſit, & percipiatur ab intellectu creato quam vt ab eodem aliquid intelligatur per diſcurſum. Quò fit, vt reſponſio allata retorqueri poſſit. Ex dictis enim ſuprà ſatis conſtat, ſi ſcientia illa contingentium ſub conditione futurorum concedatur, negari non poſſe quin eadem contingentia apta ſint cognoſci ſub futuri abſoluti ratione vt contra diſtincta à ratione præſentis, & coëxiſtentis æternitati: ex quo etiam ſequitur, vt hæc ipſa ratio futuri diuerſa à ratione præſentis & coëxiſtentis æternitati attingi debeat ab intellectu diuino, quem latere non poteſt vlla obiectiua ratio. Si ergo hæc ipſa ratio futuri abſoluti nonniſi per diſcurſum intelligi poteſt; vt videtur velle illa reſponſio: Hoc ipſo quod admittimus ſcientiam illam conditionalium ante omnem actum liberum: incidimus in hoc abſurdum, vt Deo tribuere debeamus notitiam aliquam diſcurſiuam: ac proinde ſcientia illa omnino videtur ante actum liberum neganda.

Sed vt eadem reſponſio nullius planè momenti eſſe demonſtretur: animaduertendum eſt, cognitionem in eo quod diſcurſum inuoluat, aut excludat non tam pendere à ratione obiecti quàm à natura intelligentis magis, aut minus perfecta, qua de cauſa omnia, quæ nos per diſcurſum intel-

ligimus, non Deus modò, ſed Angeli etiam intelligunt, abſque vllo diſcurſu: & quicquid in ſe tale eſt, vt poſſit eſſe obiectum certæ cognitionis diſcurſiuæ ab imperfectiori intellectu manantis: poteſt etiam eſſe obiectum certæ cognitionis, quæ pro nobiliori natura ſui intellectus omni diſcurſu careat. Noſtrum igitur argumentum probat quidem contingentia ſub ratione futuri abſoluti quatenus hæc ratio diuerſa eſt à præſentia, & coexiſtentia æternitati certò cognoſci poſſe per diſcurſum ab intellectu imperfectiori: ſed hoc ipſo etiam probat, poſſe eadem ſine diſcurſu ſub eadem ratione certò cognoſci à Deo. Cùm enim præmiſſæ illæ (ſi Petrus ponatur, in his circunſtantiis loquetur: Petrus eſt in his circumſtantiis) ex quibus infertur loquutio Petri ſub ratione futuri abſoluti contra diſtincta ab eius actuali exiſtentia: priùs ratione veræ ſint quàm eadem loquutio eſſe poſſit præſens, & coexiſtens æternitati: eo ipſo etiam in re verum eſt Petri loquutionem eſſe abſolutè futuram: quia impoſſibile eſt, vt ſit connexio extremorum cum medio abſque connexione extremorum inter ſe: & ideò ſicut Deus perfectiſſimo ſuo intelligendi modo in illarum præmiſſarum veritate intuetur connexionem extremorum cum medio, ex quo per optimam conſequentiam inferri poteſt loquutio Petri ſub futuri abſoluti ratione diuerſa ab eius actuali exiſtentia, & præſentia in æternitate, eámque intuetur priùs ratione, quàm eadem loquutio concipi poſſit, vt exiſtens: ita neceſſe eſt, vt cum eadem cognitionis perfectione intueatur connexionem extremorum inter ſe; hoc eſt, loquutionem Petri, vt abſolutè futuram priùs ratione

ratione quàm videre poſſit eandem, vt extra cauſas, & coexiſtentem æternitati: ſi enim intuetur connexionem extremorum eo prorſus modo quo eſt; videt eandem connexionem eſſe nexum etiam, & connexionem extremorum inter ſe. Quare fruſtrà obiicitur non poſſe Deo tribui propter imperfectionem diſcurſus modum illum cognoſcendi futura contingentia abſoluta, quem S. Tho. non modò non admiſit, ſed etiam expreſsè excluſit.

Secunda reſponſio ad idem argumentum refellitur.

Alij forſan exiſtimabunt argumentum propoſitum alia ratione dilui poſſe: ſi, nimirum, dicamus in maiori illa propoſitione (ſi Petrus conſtituatur in his circunſtantiis loquetur) ſubintelligendam eſſe aliam conditionem: hoc eſt, ſi illi non deſit concurſus diuinus. Hoc enim poſito fit, vt quamuis Deus videat Petrum in his circunſtantiis conſtitutum: cùm tamen abſolutè loquuturum non priùs videat, quàm videat ſuum decretum circa loquutionem, & concurſum ad illam: quo decreto poſito ſtatim videt Deus loquutionem illam, non vt futuram, ſed vt præſentem æternitati, ac extra cauſas.

Sed contra hanc reſponſionem videntur vrgere plura. Primò enim ſi tota reſponſio admittatur: Argumentum tamen propoſitum ſatis retinet roboris ad probandum modum aliquem certò cognoſcendi futura contingentia abſoluta, qui ſententiæ S. Tho. aduerſetur. Hæc enim reſponſio

ſatis apertè concedit contingens, vt non eſt præſens, non eſſe quantum, ex ipſo eſt, & cauſa ipſius proxima incapax certæ cognitionis ſub ratione futuri, aut non futuri propter indeterminationem ad eſſe, atq; ad nõ eſſe: ſed totam rationem incertitudinis oriri quodãmodo extrinſecùs ex eo, quòd neceſſarius concurſus cauſæ primæ deeſſe poſſit. Quò fit, vt ſicut dicitur De⁹ ante omne decretum ſciuiſſe Petrum quantum ex ipſo eſſet (vel niſi Deus neceſſarium concurſum ſubtraheret) loquuturum, ſi in his circumſtantiis conſtitueretur, ita tribui etiam Deo debeat ante decretum immediatum circa loquutionem, vel concurſum ad illam certiſſima cognitio, qua ſciat Petrum in his circumſtantiis poſitum pro ſua libertate abſolutè loquuturum, niſi ipſe eidem Petro deſit in neceſſariis ad eandem loquutionem: quem cognoſcendi modum cum S. Thom. ſententia non cohærere ſatis oſtendunt ea quæ ſuprà attulimus initio huius cap. 2. in probatione maioris propoſitionis. Dum enim S. Tho. negat futura contingentia abſoluta poſſe aliter certò cognoſci quàm per viſionem, quæ in ea feratur, vt exiſtentia ſunt: non ideò id negat, quia pro libertate diuina fieri poteſt, vt cauſæ liberæ creatæ deſit concurſus neceſſarius ad actum: ſed quia cauſa contingens, & libera ſe habet ad oppoſita, & eius effectus vt non eſt præſens; eſt in ipſa, & ratione ipſius abſtrahendo ab omni extrinſeco & indeterminatus vt ſit, aut non ſit.

Confirmatur, quia futura neceſſaria dicuntur ſimpliciter certò cognoſci eo ipſo, quod per comprehenſionem cauſæ ipſorum cognoſcuntur, qua-

tenus

tenus futura ſunt ex parte ipſius cauſæ proximæ, quamuis ea incertitudo quaſi ab extrinſeco ſuperſit; an ſcilicet defuturus ſit neceſſarius concurſus cauſæ primæ, necne. Ergo ſimiliter cum S. Tho. negat, poſſe etiam à Deo certò cognoſci futura contingentia abſoluta vt futura ſunt: loquitur de illa certitudine, quæ attenditur ex parte effectus; vt eſt in ſua cauſa proxima, ita vt abſtrahendo etiam à libertate voluntatis diuinæ ad concurrendũ,& non concurrendum:incertum omninò ſit in quam partem futurum ſit, vt ſe moueat libertas creata. In eodem enim ſenſu negat S. Tho. certò cognoſci poſſe contingentia vt futura ſunt: quo ipſe & alij paſſim concedunt certò cognoſci poſſe neceſſaria ſimiliter, vt futura ſunt: Ac proinde falſum omnino eſt in ſententia S. Tho. poſſe certò cognoſci loquutionem Petri in his circunſtantiis conſtitui eſſe abſolutè futuram, quantum eſt ex parte ipſius Petri.

Secundò, contra eandem reſponſionem eſt, Quia admiſſa etiam in illa maiori (ſi Petrus conſtituatur in his circunſtantiis loquetur) alia conditione; nimirum, niſi illi deſit concurſus diuinus: integrum tamen manet argumentum initio propoſitum: quia ſi Deus ante omnem liberum actum ſcit, contingens ſub illa duplici conditione eſſe futurum; eo ipſo videt in alio ſigno rationis idem contingens, vt abſolutè futurum non intuendo ipſum vt præſens, & coëxiſtens æternitati: Poſt cognitam enim illam maiorem propoſitionem duplici conditione ſuſpenſam, accedente decreto de concurrendo ad Petrum in his circunſtantiis conſtituendum; videt Deus purificatam

non efficere, vt hæc ſcientia conditionalium ante decretum Deo non ſuppeditet modum certò cognoſcendi futura contingentia abſoluta diſtinctum ab æterna viſione actualis ipſorum exiſtentiæ, atque à S.Tho. excluſum, Qui cognoſcendi modus nó eſt ille ipſe, quo Scot in 1.diſt.39.viſo de contingentia, & alij dixerunt futura contingentia abſoluta à Deo cognoſci in ſuo decreto. Hi enim putāt ratione totā futuri abſoluti in decreto diuino niti, vt in antecedenti, ac infallibili cauſa determinationis cauſæ ſecundę: & totam certitudinem cognitionis oriri ex cognitione huius decreti. Nos autem ex ſua ſcientia conditionata inferimus in contingentibus rationem quādam futuri abſoluti, quæ pendeat ab vſu libertatis creatæ; ita vt decretum diuinum ſe habeat ſolum, vt cauſa alicuius concomitantis neceſſarij, id eſt, generalis concurſus: & certitudo, qua huiuſmodi contingens abſolutè futurum cognoſcitur, nitatur illi obiectiuæ ipſius veritati in ratione futuri abſoluti, quam apertè demonſtrat veritas futuri conditionalis ab eodem priùs ratione habita.

Confirmatur hæc ſecunda eiuſdem reſponſionis oppugnatio, quia ſi Deus circa Petrum vna cum decreto ipſum creandi haberet etiam hoc decretum: quod nullatenus eſt impoſſibile, nimirum: Nolo vnquam illi denegare concurſum meum, eo ipſo quòd videret illum in his circunſtantiis conſtitutum, in quibus ante omne decretum præuiſus fuerat loquuturus, ſi in illis poneretur, nec deeſſet neceſſarius concurſus cauſæ primæ: eo ipſo, inquam, purificata eſſet omnis conditio, & perfectiſſima certitudine ſciret illum abſo-

lutè

lutè loquuturum ſecluſa etiam omni viſione loquutionis, vt exiſtentis, ac præſentis æternitati. Quare conſtat omnino alium cognitionis modum à nobis illatum non impediri per additionem illius conditionis (niſi deſit concurſus diuinus.)

Tertiò, contra eandem reſponſionem eſt, quia ſubintellecta etiam in illa maiori propoſitione (ſi Petrus conſtituatur in his circunſtantiis loquetur) illa alia conditione (niſi deſit concurſus diuinus) certò tamen poterit Deus cognoſcere loquutionem abſolutè futuram alio modo quàm intuendo illam, vt exiſtentem: idque non ſolùm poſt decretum immediatum circa loquutionem, vel concurſum ad illam, vt paulò antè in ſecunda oppugnatione diximus, ſed etiam ante huiuſmodi decretum. Nam ſi Deus ante quodcunque decretum prẹuidet ſub conditione actus liberos noſtros futuros: ante quodcunque etiam decretum actuale præuidet, vt conditionaliter futuros actus liberos ſuæ voluntatis. Quare ſicut dicitur præuidere Petrum, quantum ex ipſo eſt loquuturum, ſi ponatur in his circumſtantiis: ita etiam dici poteſt præuidere ſub eadem conditione conſtitutionis Petri in his circũſtantiis, ſe non denegaturum eidem Petro concurſum ad loquendum. Quo poſito, eo ipſo quòd Deus videt Petrum eſſe in his circunſtantiis, antequàm actu decernat cum illo concurrere, videt ſuũ concurſum Petro abſolutè non defuturum; ac proinde purificata omni conditione videt loquutionem Petri nondum exiſtentem eſſe omnino abſolutè futuram.

Neque enim refert quod Molina p p.quæ.14.

ar.13.diſp.17.& in Concord. ibidem aſſeruerit actus liberos diuinos, vt conditionaliter futuros ab ipſo Deo, non cognoſci licet ſub ea ratione ab illo cognoſcantur actus arbitrij creati. Hæc enim opinio reiicitur à Suarez in Opuſc.lib.2.de ſcient.condit. futur. conting. & aliis Auctoribus huius ſcientiæ conditionalium ante decretum quam in præſentia oppugnamus. Quorum auctoritas hac in re pluris facienda eſt, cùm ſatis oſtendant Molinam in propoſito non philoſophari conſequenter: nulla enim probabili ratione explicari poteſt veritas futuri conditionalis in actibus liberis creatis, quin eadem reperiri poſſit in actibus liberis diuinis, quibus ſi huiuſmodi veritas inſit, implicat contradictionem, vt ſub ratione futuri conditionalis intelligibiles non ſint ab intellectu diuino.

Refutatur tertia Reſponſio, quæ ad idem argumentum diſſoluendum afferri poſſet.

TErtio tandem loco videbitur fortaſſe alicui propoſitum argumentum ita ſolui poſſe; ſi, nimirùm, dicatur Deus poſt ſcientiam futurorum omnium contingentium ex hypotheſi priùs quidem ordine executionis velle, vt ſint conditiones, poſteve vtrò à ſit illud contingens quod ſub illis conditionibus erat futurum: ſed ordine intentionis priùs velle, vt ſit ipſum contingens, quàm velit, vt ſint conditiones, à quibus ipſum contingenter pendet: ita vt in exemplo propoſito ſæpiùs cùm præuiderit Deus Petrum loquuturum, ſi ex his circunſtantiis conſtitueretur: ideò ſtatuat Petrum in his circunſtantiis collocare, quia vult vt ipſe loquatur;

quatur,& conſequenter, quia vult cum ipſo concurrere ad loquutionem. Hinc enim ſequitur primò vt priùs videat Deus ſe actu velle cum Petro concurrere ad ipſius loquutionem, quàm videat purificatam conditionem ratione cuius dicebatur à nobis ſuprà, videri vt futurus conditionaliter, & poſtmodum, vt futurus abſolutè ipſemet actus liber diuinæ voluntatis.

Secundò ſequitur vt admiſſa etiam in Deo hac ſcientia contingentium ſub conditione futurorum ante decretum, futura contingentia abſoluta iuxta ſententiam S.Tho. non aliter à Deo certò cognoſcantur, quàm per viſionem, quæ illa reſpiciat vt exiſtentia ſunt, & præſentia æternitati. Cùm enim poſt ſcientiam huius conditionalis (ſi Petrus conſtituatur in his circunſtantiis loquetur) ſit decretum, quo Deus ſtatuit, vt Petrus loquatur, & ſtatuit cum eo ad loquutionem concurrere, & ob hanc ipſam voluntatē ſtatuit, illum in his circunſtantiis collocare: in ſigno rationis quod huiuſmodi decreto hæc omnia certo ordine complectente poſterius eſt, non poteſt videre Deus Petrum actu conſtitutum in his circunſtantiis, videndo loquutionem ipſius, non vt exiſtentem & præſentem, ſed vt futuram; quia hæc loquutio in hoc inſtanti rationis verè eſt extra cauſas & præſens æternitati, cùm ad actualem ipſius exiſtentiam & æternam viſionem, quæ in eam feratur, vt exiſtentem, nihil aliud prærequiratur, niſi decretum diuinum de conſtituendo Petro extra cauſas in certis circunſtantiis, & de concurrendo ad actum loquutionis. Quare ſimul videtur purificata conditio, dum videtur Petrus in his circunſtantiis conſtitu-

tus:

tus; & ſimul videtur loquutio ipſa vt actu exiſtens extra cauſas: ac proinde non inuenitur modus vllus cognoſcendi hanc loquutionem & alia contingentia quæcumque in ratione futuri abſoluti diſtinctus ab eo, quem agnouit, atque approbauit S. Thom.

Sed contra hanc reſponſionem eſt; primò, quia ad tuendam ſententiam S. Thom. non eſt ſatis, vt Deus futura contingentia abſoluta certò præſcire nequeat, niſi quatenùs præſentia ſunt æternitati ex eo quòd hic vel ille ordo liberè ſit inter actus diuinæ voluntatis. Quod enim huiuſmodi futura certò aliter cognoſci non poſſint, non pendet iuxta ſententiam S. Thom. initio huius cap. explicatam, ex libertate diuina, quæ priùs ordine intentionis verſetur circa hoc, quàm circa illud. Nam totum huius opinionis fundamentum eſt in natura rei contingentis, & cauſæ ipſius ad oppoſita ſe habentis; quod ſanè per hanc reſponſionem euertitur; quia innititur ſolùm ordini actuum liberorum diuinæ voluntatis. Quare ſi Deus alium ordinem in his actibus liberè conſtitueret; nullatenùs immutata rei contingentis, & cauſæ ipſius natura; ſtatim oriretur S. Thom. omnino reclamante alius modus certò cognoſcendi futura contingentia abſoluta. In noſtro enim exemplo: ſi poſt præuiſionem huius conditionalis (ſi Petrus ponatur in his circumſtantiis loquetur) dicatur Deus non decreuiſſe abſolutè ex ſe, vt Petrus loqueretur, ita vt propter hanc voluntatem; abſolutè etiam voluerit ipſum in his circumſtantiis collocare: ſed ex ſe noluiſſe potiùs loquutionē Petri quàm

illius negationem: Ac propterea liberè ſtatuiſſe quidem Petrum in his circumſtantiis conſtituere; non tamen in eum finem vt infallibiliter loqueretur: & ea tantùm de cauſa voluiſſe ad Petri loquutionem concurrere, ne vſum libertatis ipſius impediret, ſi hoc (inquam) quod poſſibile omnino eſt, ponatur: prius ſimpliciter erit decretum de Petro in his circumſtantiis conſtituendo, quàm decretum immediatum circa ipſius loquutionem, & concurſum ad illam, atque ante huiuſmodi decretum immediatum loquutio à ratione futuri contingentis conditionalis tranſibit ad rationem futuri contingentis abſoluti. Ac proinde poſito ordine illo poſſibili actuum diuinorum, ſequetur hoc in ſententia S. Thom. impoſſibile, vt huiuſmodi contingens purificata conditione ſtatim poſt primum decretum circa antecedens propoſitionis conditionalis, certò prænoſcatur vt futurum abſolutum ſecluſa quacumque viſione ipſius ſub ratione exiſtentis, & præſentis æternitati, vt clariùs, & fuſiùs intulimus ſuprà. Ex quo patet quantum hæc reſponſio aberret à ſententia S. Thom.

Adde quod retento etiam inter actus liberos voluntatis diuinæ ordine illo quem reſponſio conſtituit; non tamen euitatur difficultas argumenti. Nam licet Deus priùs habeat decretum immediatum (vt intentionem quandam finis) de loquutione Petri & concurſu ad illam; poſteà verò habeat tamquam voluntatem mediorum; decretum de Petro in his circumſtantiis conſtituendo; loquutio tamen ipſa priùs tranſit ad rationem futuri abſoluti, quàm acquirat rationem exiſten

exiſtentis extra cauſas : Ex decreto enim de Petro in his circumſtantiis collocando ſtatim intelligitur ſequi actualis ipſius conſtitutio in eiſdem circumſtantiis, ita vt in inſtanti rationis poſt illud decretum immediatè ſequenti purificata omnino ſit conditio illa per quam dicebatur conditionaliter futura loquutio; ſi, nimirum, Petrus in his circumſtantiis conſtitueretur : Quare hoc ipſo habebit loquutio rationem futuri abſoluti in illo inſtanti rationis immediato poſt illud decretum, & in eo incipiet vera eſſe maior, & minor argumenti per optimam conſequentiam inferentis loquutionem, vt abſolutè futuram, iuxta ea quæ ſuprà diximus fusè. In hoc ipſo autem inſtanti loquutio eadem habere non poteſt rationem exiſtentis extra cauſas; loquutio enim hæc vtpote actus ſecundus & effectus Petri in his circumſtantiis conſtituti non poteſt eſſe ſimul natura & ratione cum eo : & ideò cùm in hoc inſtanti rationis intelligatur primò eſſe, Petrus extra cauſas in his circumſtantiis conſtitutus; loquutio ipſius pro hoc ipſo inſtanti non poteſt dici eſſe, niſi in voluntate ipſius, tamquam in cauſa apta illam producere; non autem, exiſtere actualiter in ſe ipſa. Quamuis ergo conſtituatur ordo ille inter actus liberos diuinos, cui nititur reſponſio; priùs tamen tranſit loquutio ad rationem futuri abſoluti quàm ad rationem actû exiſtentis : & ideò non vnica tantùm ratione à S. Thom. approbata certò ſciri poteſt à Deo res contingens abſolutè futura: ſed duplici, quia, nimirum, in aliquo priori ſigno rationis cognoſci poteſt ſub ratione abſolutè futuri contradiſtin-

illius negationem : Ac propterea libere ſtatuiſſe quidem Petrum in his circumſtantiis conſtituere; non tamen in eum finem vt infallibiliter loqueretur : & ea tantùm de cauſa voluiſſe ad Petri loquutionem concurrere, ne vſum libertatis ipſius impediret, ſi hoc(inquam) quod poſſibile omnino eſt,ponatur:prius ſimpliciter erit decretum de Petro in his circumſtantiis conſtituendo, quàm decretum immediatum circa ipſius loquutionem, & concurſum ad illam, atque ante huiuſmodi decretum immediatum loquutio à ratione futuri contingentis conditionalis tranſibit ad rationem futuri contingentis abſoluti. Ac proinde poſito ordine illo poſſibili actuum diuinorum,ſequetur hoc in ſententia S.Thom.impoſſibile ; vt huiuſmodi contingens purificata conditione ſtatim poſt primum decretum circa antecedens propoſitionis conditionalis, certò prænoſcatur vt futurum abſolutum ſecluſa quacumque viſione ipſius ſub ratione exiſtentis, & præſentis æternitati, vt clariùs, & fuſiùs intulimus ſuprà.Ex quo patet quantum hæc reſponſio aberret à ſententia S.Thom.

Adde quod retento etiam inter actus liberos voluntatis diuinæ ordine illo quem reſponſio conſtituit; non tamen euitatur difficultas argumenti. Nam licet Deus priùs habeat decretum immediatum(vt intentionem quandam finis) de loquutione Petri & concurſu ad illam ; poſteà verò habeat tamquam voluntatem mediorum; decretum de Petro in his circumſtantiis conſtituendo; loquutio tamen ipſa priùs tranſit ad rationem futuri abſoluti, quàm acquirat rationem exiſten

exiſtentis extra cauſas: Ex decreto enim de Petro in his circumſtantiis collocando ſtatim intelligitur ſequi actualis ipſius conſtitutio in eiſdem circumſtantiis, ita vt in inſtanti rationis poſt illud decretum immediatè ſequenti purificata omnino ſit conditio illa per quam dicebatur conditionaliter futura loquutio; ſi, nimirum, Petrus in his circumſtantiis conſtitueretur: Quare hoc ipſo habebit loquutio rationem futuri abſoluti in illo inſtanti rationis immediato poſt illud decretum, & in eo incipiet vera eſſe maior, & minor argumenti per optimam conſequentiam inferentis loquutionem, vt abſolutè futuram, iuxta ea quæ ſuprà diximus fusè. In hoc ipſo autem inſtanti loquutio eadem habere non poteſt rationem exiſtentis extra cauſas; loquutio enim hæc vtpote actus ſecundus & effectus Petri in his circumſtantiis conſtituti non poteſt eſſe ſimul natura & ratione cum eo: & ideò cùm in hoc inſtanti rationis intelligatur primò eſſe, Petrus extra cauſas in his circumſtantiis conſtitutus; loquutio ipſius pro hoc ipſo inſtanti non poteſt dici eſſe, niſi in voluntate ipſius, tamquam in cauſa apta illam producere; non autem, exiſtere actualiter in ſe ipſa. Quamuis ergo conſtituatur ordo ille inter actus liberos diuinos, cui nititur reſponſio; priùs tamen tranſit loquutio ad rationem futuri abſoluti quàm ad rationem actû exiſtentis: & ideò non vnica tantùm ratione à S. Thom. approbata certò ſciri poteſt à Deo res contingens abſolutè futura: ſed duplici, quia, nimirum, in aliquo priori ſigno rationis cognoſci poteſt ſub ratione abſolutè futuri contradiſtin-

cta à ratione præſentis: in alio verò ſigno poſteriori videri poteſt vt exiſtens, & præſens æternitati. Secundò, contra eandem reſponſionem eſt, quia multa ſunt futura contingentia, quorum præuiſioni hæc reſponſio nulla ratione applicari poteſt: Quamuis enim Deus præuiderit futuros actus malos ſub ea conditione, vt homines conſtituerentur in illis circumſtantiis, in quibus eos eliciunt. Non tamen in eum finem eos in illis circumſtantiis collocat, vt ipſi cum perfecta cognitione liberè eliciant actus prauos: id quod paſſim admittitur ab iis Auctoribus, qui hanc ſcientiam conditionatam Deo tribuunt ante omne decretum: Et videtur etiam expreſſa ſententia S. Auguſt. lib. 3. contra Iulian. cap. 9. vbi ait; Non ideò Deum creare pecora in gregibus impiorum, vt Dæmonibus immolentur, quamuis hoc nouerit eos eſſe facturos. Hæc ergo contingentia dici non poſſunt à Deo non cognoſci ſub ratione futuri abſoluti priùs ratione quàm cognoſcantur vt exiſtentia, eò quòd ordine intentionis priùs ſit decretum quo Deus velit illa eſſe, quàm decretum, quo velit eſſe conditiones, ſub quibus præuiſa fuerant, vt conditionaliter futura. Quare neque etiam congruit hæc reſponſio ſententiæ S. Thom. cuius doctrina res omnes contingentes eadem prorſus ratione complectitur.

Ex his omnibus conſtare videtur, fatendum omnino eſſe, vt Deus futura contingentia abſoluta alia etiam ratione certò prænoſcat quàm per viſionem, quæ ab æterno in ea feratur, vt exiſtentia ſunt: ſi illi tribuatur ſcientia eorundem

ante

ante decretum ſub ratione futuri conditionalis: cúmque hæc alia præuiſionis ratio à S. Thom. excluſa fuerit, vt ſatis ſupérque oſtendunt ea, quæ attulimus initio huius cap. Reliquum eſt vt argumentum propoſitum optimè inferat, huiuſmodi ſcientiam conditionatam ante diuinum decretum ſententiæ S.Tho. aduerſari. Quod ipſum aliis etiam argumentationibus colligi poteſt.

Subduntur alia argumenta, quæ eidem S. Thom. auctoritati nituntur.

SEcundo loco hæc ſcientia conditionata ante decretum probatur pugnare cum opinione S. Thom. quia futura contingentia abſoluta in ſententia ipſius ſciri non poſſunt ante decretum, quod immediatè circa ipſa verſetur: in primo enim diſt.39. quæſt.1.ar.1. ad 5. dum agit de huiuſmodi decreto, atque de ſcientia futurorum ait, *ſcire ſecundùm rationem ſequitur voluntatem.* Id quod repetit in eadem quæſt. 1.ar.2.ad 2. At ſi in Deo eſt ſcientia illa contingentium ſub conditione futurorum ante decretum; ſequitur omnino, vt videat futura contingentia abſoluta ante decretum immediatum circa ipſa: quia ante huiuſmodi decretum per ſolum decretum circa conditiones purificatur omnis conditio, & res tranſit ad rationem futuri abſoluti, vt ſuprà oſtendimus; ergo.

Tertiò denique idem deducitur; quia iuxtà ſententiam S. Thom. futurum contingens abſolutum per nullam cognitionem certò cognoſci poteſt vt futurum eſt; quia ſub ratione futuri nul-

lam habet determinationem. Docet hoc S. Tho. verbis ſuprà relatis initio capitis: Ergo in ſententia eiuſdem futurum etiam contingens conditionale certò ſciri non poterit quatenus futurum eſt; cùm de vtroque ſit eadem omnino ratio: ſed futurum conditionale contingens non poteſt à Deo videri ante decretum, niſi quatenus futurum eſt; Ergo in ſententia S. Tho. futurum contingens conditionale ante decretum certò ſciri non poteſt. Aſſumptum patet ex doctrina S. Tho. locis citatis initio capitis: & præſertim p. p. quæſt.14. ar. 13.& quæſt. 2. de ſcientia Dei ar. 12. ſentit enim futurum contingens cognoſci, vt futurum, quatenus cognoſcitur, vt non eſt præſens, ac extra cauſas, ſed vt eſt in cauſa. Quare cùm contingens ſub ratione futuri conditionalis cognoſci à Deo nequeat ante decretum, vt extra cauſas, ac præſens æternitati, certum relinquitur, vt in ſententia S. Tho. pro eo ſigno rationis huiuſmodi futurum cognoſci non poſſit niſi ſub ratione futuri; hoc eſt, ſub ea ratione, ſub qua, teſte eodem S. Tho. contingens quodcumque pugnat cum certitudine cuiuſuis ſcientiæ. Atque hæc de ſententia S. Tho. Iam ad Theologicas rationes veniamus.

CAPVT III.

Eadem opinio negans in Deo ante decretum ſcientiam contingentium ſub conditione futurorum, Theologicis rationibus comprobatur.

AD hanc ipſam ſententiam confirmandam non deſunt rationes Theologicæ complures,

res,quibus multum ponderis ineſſe videatur. Probatur itaque.

Primò, quia vt ante omnem actum liberum Deus ſciat aliquod contingens conditionaliter eſſe futurum, aliquod verò conditionaliter non eſſe futurum opus eſt vt priùs ratione quàm hoc ſciat; diuina eſſentia, vt gerens vicem ſpeciei intelligibilis vnius ex his contingentibus alio modo determinet intellectum diuinum, quàm vt gerens vicem ſpeciei intelligibilis alterius. Hæc enim eſt illa vnio obiecti cum potentia cognoſcitiua,quam ad omnem actum cognitionis optimè docuit prærequiri S. Tho. p.p. quæſt. 12. ar. 2. At huiuſmodi diuerſa determinatio in eo ſigno rationis eſſe non poteſt. Patet, quia eam antecedere debet diuerſa ratio entis in obiecto: ideò enim eſſentia diuina determinat in ratione ſpeciei intelligibilis intellectum diuinum ad cognoſcendum hoc obiectum vt album; illud verò vt nigrum: quia hoc album eſt, ac vt album poſtulat cognoſci: illud verò nigrum; & non aliam ſui, quam vt nigri cognitionem requirit: In propoſito autem non eſt vlla diuerſa ratio entis in obiecto, quæ poſtulet diuerſam illam determinationem intellectus diuini, & diuerſam cognitionem: Poſitis enim duabus cauſis liberis in quibuſcumque conditionibus, cùm vtraque maneat indifferens ad operandum, & non operandum; indifferens etiam manet operatio ſub illis vt ſit, & non ſit: ac proinde non poteſt operatio vnius cauſæ per ordinem ad illas conditiones habere obiectiuam rationem diuerſam ab ea, quam habeat operatio alterius. Quod vt clariùs oſtendatur; Ponamus id quod

facilè concedunt Auctores huius ſcientiæ conditionatæ ante decretum. Ponamus, inquam, Deum ante omnem actum liberum præuidiſſe futurũ, vt Petrus, ſi in his certis circumſtantiis loci, tẽporiſq́; cõſtitueretur, liberè vellet loqui; Paulus verò idem liberè non vellet, etiamſi in eiſdem prorſus circunſtantiis collocaretur, & corpore, & animo in actu primo eadem planè ratione, ac Petrus affectus eſſet. Hoc enim poſito nulla omnino videtur poſſe reperiri obiectiuæ rationis diuerſitas, ob quam loquutio Petri diuerſam determinationem intellectus, & diuerſam cognitionem exigat in inſtanti rationis antecedente omne decretum diuinum ab ea, quam exigit loquutio Pauli. Quod enim attinet ad Petrum, pro eo ſigno rationis nihil aliud conſiderari poteſt; niſi Petrus abſtrahens ab exiſtenti, & ratione abſolutè futuri. Hæ circunſtantiæ loci, temporis, & volitio ipſius in eiuſdem voluntate, vt in cauſa determinata, atque indifferenti contenta; quæ omnia apta ſunt ex natura ſua non ſolùm ſeorſim concipi; ſed etiam inuicem comparari: præter hæc nulla alia ratio obiectiua realis in propoſito excogitari poteſt. Simili autem ratione totidem ſolùm conſiderari poſſunt circa loquutionem Pauli, quæ cùm ab illis ſuprà enumeratis ſolo, vt poſuimus, numero differant; conſtat eam illis non ineſſe diuerſitatem, ratione cuius oppoſitam cognitionem requirant.

Occurri

Occurritur cuidam reſponſioni, quæ ad infirmandam rationem propoſitam afferri poſſet.

AD rationem propoſitam aliquis forſan reſponderet diuerſitatem illorum obiectorum in eo eſſe, quòd volitio Petri ſub illis conditionibus futura ſit: ſub eiſdem verò non ſit futura volitio Pauli.

Sed contrà eſt, quia hæc ratio futuri, & nō futuri, vt tribuat his obiectis veram diuerſitatem ratione cuius poſtulét diuerſam cognitionē debet eſſe aliquid reale exiſtens in ipſis rebus priùs ratione, quā intellectus diuinus circa illas verſetur. In rebus autem hanc rationem futuri, & non futuri non reperiri ſatis conſtat ex enumeratione allata eorum omnium quæ circa hæc obiecta conſiderari poſſunt. Quòd enim volitio Petri veram in ſe habeat rationem futuri conditionalis per ordinem ad has conditiones, ſeu circumſtantias; dici poteſt ſolùm oriri ex determinata connexione volitionis cum his circumſtantiis, non quòd ex natura rei ſit hæc determinatio, vt nequeat eſſe oppoſitum: ſed quòd de facto ponendæ non ſint hæ circunſtantiæ ſine volitione Petri, in qua ratio futuri conditionalis idem ſit realiter, atque hæc connexio: ſed tamen propter libertatem Petri explicari nequit, in quo hæc ipſa connexio conſiſtat: & vnde in eo inſtanti rationis oriatur: Cùm præſertim eadem pro eodē ſigno dicatur non conuenire volitioni Pauli, cui nihil deeſt eorum, quæ pro illo ſigno inſunt Petro: impoſſibile enim eſt, vt ex quatuor terminis omninò ſimilibus duo diuerſimodè ſe habeāt

ad inuicem, atque alij duo. Nam quod duo comparentur inter ſe vt ſimilia, vel diſſimilia. Æqualia, vel inæqualia prouenit ex proprio eſſe cuiuſque. Ideò namque hoc vel illo modo vnumquodque ſe habet ad alia externa, quia hoc vel illo modo ſe habet in ſe ipſo. Quare cùm in inſtanti rationis antecedente omnem liberum actum diuinum Petrus, & Paulus in ſe eodem omnino modo ſe habeant ex ſuppoſitione: & conditiones, ſeu circumſtantiæ ſint eædem: volitio verò vtriuſque non ſit in ſeipſa, ſed in cauſa æquè indifferenti: fit vt Petrus ſub his conditionibus, ac volitio ipſius; & Paulus ſub eiſdem conditionibus, atque ipſius volitio ſint quatuor termini omnino ſimiles? Ac propterea, vt pro eo ſigno nulla diuerſa connexio intercedere poſſit inter Petrum in illis circumſtantiis collocatum, ac volitionem ipſius: atque inter Paulum in eiſdem circumſtantiis collocatum, ac volitionem eiuſdem.

Ex quibus etiam patet, vel non eſſe ad rem, vel eſſe falſum, quod aliqui dicere ſolent; nimirum, aſſignandam non eſſe nullam maiorem rationem quare hoc ſit conditionaliter futurum, nō illud: ſed ſatis eſſe rationem vtriuſque afferre ſufficientem petitam ex libertate cauſæ quæ poteſt vtrumlibet: ſicut ſimiliter accidit in futuris contingentibus abſolutis, in quibus abſque vlla maiori ratione vnum verè eſt futurum: Aliud verò non futurum.

Si enim id intelligatur de maiori ratione motiua, & determinatiua cauſæ liberæ; ſeu de maiori ratione antecedente ipſum eſſe futuri conditiona-

lis:

lis:licet verum ſit : quod tamen attinet ad argumentum propoſitum non eſt ad rem : quia difficultas vrgetur de ratione futuri conditionalis formaliter accepta : non verò de cauſa ipſius antecedenti.

Si verò ſit ſenſus, vt exempli cauſa in volitione Petri , quæ dicitur conditionaliter futura nulla ſit aſſignanda maior ratio formalis , & quiditatiua ipſius eſſe futuri conditionalis, quàm in volitione Pauli,quæ dicitur conditionaliter non futura. Falſum id ſanè eſt, quia alioqui ex hoc capite vtrique actui eodem modo conueniret eſſentia futuri conditionalis : ex ſuppoſitione verò ſuprà facta , non eodem modo conueniret:ac proinde in magnifeſtam conditionem laberemur.

Neque valet quod additur de futuris contingentibus abſolutis:cùm enim ipſa quatenus futura ſunt ſub certam cognitionem non cadant,non eſt mirum vt nullo modo poſſit afferri vlla maior ratio,quare hoc ſit certò futurum,non illud:quia tamen eadem certò cognoſci poſſunt , vt æternitati præſentia ſunt : ideò in illis aſſignatur exiſtentia actu exercita in certa differentia temporis, quæ ratio eſt formalis,& quiditatiua præſentiæ, reſpectu æternitatis: per quam realem rationem differunt nullo cogitante ea, quæ nobis contingenter futura ſunt ab iis , quæ nulla ratione ſunt abſolutè futura.

Secunda ratio proponitur.

SEcundo loco eadem ſententia probari poteſt, quia de obiecto variabili,atque indeterminato

ſecun-

ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam variabile, atque indeterminatum eſt: nulla poteſt eſſe cognitio omninò certa: vt enim optimè deducit Ariſtot. 1. Periherm. capit. vlt. in fi. & ibi S. Thom. & alij: Quia cognitionis, & orationis veritas ab obiecto pendet, fit neceſſariò vt ſi obiectum ad vtrumlibet ſe habeat, vel contraria ſuſcipiat, ſiue ea æquè contingere poſſint ſingula, ſiue alterum, vt in pluribus: fit (inquam) vt eadem ratione ſe habeat cognitio, & oratio ad veritatem & falſitatem: ac propterea vt cognitionis veritas certa, & fixa eſſe nequeat, ſi in eam rationem obiecti feratur, quæ ſuapte natura firma non ſit, ſed variabilis, & inconſtans. Contingens autem ſub conditione futurum, quatenùs ſub conditione futurum eſt, eſt quid variabile, & indeterminatum, Ergo &c. Aſſumptum patet quia contingens ſub ratione futuri conditionalis determinationem habere nequit, niſi in cauſa, in qua tantùm habet eſſe: cauſa verò, etiamſi quæcunque conditiones ponantur, ſuam contingentiam, & libertatem retinet, hoc eſt in defferentiam ad agendum, & non agendum, & propterea ipſi etiam effectui indeterminationem ad eſſe, & non eſſe.

Præcluditur euaſio.

Neque valet ſi dicas, vt aliquid futurum ſit, & quatenùs futurũ cognoſcatur non eſſe opus determinatione præsẽti & exiſtẽti in obiecto cùm primũ cognoſcitur: ſed ſatis eſſe determinationem futuram, vt videtur conſtare in futuris contingentibus abſolutis, quæ cùm à Deo ab æterno cognoſcantur, determinationem tamen non habent niſi

in certa differentia temporis, in qua actu exiſtunt extra cauſas. Hoc (inquam) non valet, quia cùm cognitio eiúſque veritas, & certitudo ab obiecto pendeat: quicquid ſit de alia quauis duratione: ſpectata duratione, ſeu ordine rationis cum fundamento in re, prius debet obiectum habere in ſe actu rationem ſtabilem, ac fixam, quàm ſecundùm illam rationem certa cognitione cognoſcatur: quia, vt ex Ariſt. 9. Metha. tex. 21. docet S. Tho. 1. Periher. cap. vlt. lect. 14. prope finē, nihil eſt cognoſcibile, niſi ſecundùm quod eſt in actu. Quare vt futura contingentia conditionalia ſub hac ratione cognoſci poſſint à Deo certa cognitione ante decretum, opus eſt vt in inſtanti rationis antecedente decretum, & cognitionem actu habeāt determinatam rationē futuri potiùs quàm non futuri, quam tamen habere nequeunt: vt conſtat ex prædictis, quia ſub ratione futuri conditionalis abſtrahunt à determinatione actualis exiſtentiæ, ad quam multa ex ipſis nunquam peruenient, & remanent in determinatione cauſæ ad oppoſita ſe habentis: in quo apparet latum diſcrimen inter ipſa, & futura contingentia abſoluta ratione, cuius inſtantia ab his deſumpta nullius eſt roboris. Futura enim contingentia abſoluta cum actu exiſtant in ſua differentia temporis, hoc ipſo habent rationem determinatam per quam cognoſci poſſunt, quando futura ſunt, certiſſima cognitione non quidem ſub ratione futuri, ſed ſub ratione præſentis: quia vt præſentia ſunt in actu dicuntur habere rationem neceſſarij quoad ſtatum, vt loquitur Caie. p. p. quæſt 14. ar. 13. §. Aduerte hîc: & huiuſmodi præſentia intellectui diuino ab æterno obiicitur, ita vt licer

cet hæc futura ſpectata duratione temporis, multò pòſt habeant in ſe determinationem actualis exiſtentiæ, quàm à Deo certò ſciantur: ſpectato tamen ordine rationis priùs inſit ipſis actualis exiſtentia, & ſtatus determinationis, & neceſſitatis, quàm in ea feratur intuitus diuinus.

Tertia Ratio.

TErtia ratio ad eãdem opinionem confirmandam eſſe poteſt, quia ratio futuri conditionalis in re contingenti, vel eſt ipſa entitas effectus, qui dicitur conditionaliter futurus præcisè accepta: vel eadem entitas ſimul cum entitatibus cauſę, & conditionum: vel aliquid his omnibus ſuperadditum: vel denique hæ ipſæ entitates non quomodocunque, ſed vt certo modo ſe inuicem reſpicientes. Non primum, neque ſecundum, quia in hoc futuro conditionali (ſi Petrus poneretur in his circunſtantiis vellet loqui) nulla facta mutatione in entitate volitionis, & cauſæ & conditionum, eadem planè volitio poſſet ad eaſdem circunſtantiis referri, vt nõ cõditionaliter futura, vel vt cõditionaliter non futura: vt de facto etiam contingit, iuxtà ſententiam quam oppugnamus in aliis volitionibus, quæ ſimillimam cauſam, & ſimillimas conditiones habeant, hoc eſt, ſolo numero diuerſas. Neque dici poteſt id quod tertio loco enumerauimus: vt, ſcilicet, huiuſmodi ratio conditionalis futuri conſiſtat in aliquo ſuperaddito: id enim oſtendi non poteſt quidnam ſit: & cauſæ liberæ ante productionem effectus nihil addi poteſt, quod ex ſe effectum reddat certò futurum, vt con-

ten

tendunt ipſimet Auctores opinionis huius, contra quam argumentamur, qui per huiuſmodi infallibilitatem, ſeu neceſſitatem ex ſuppoſitione antecedenti vbique clamant deſtrui libertatem: effectui autem, ſeu ipſius entitati, quatenus ille eſt conditionaliter futurus, nihil fingi poteſt ſuperaddi, quia nullum habet eſſe, in quo ſuperadditum illud recipi poſſit. Conditionibus verò ſi quid ſuperadderetur habens infallibilem connexionem cum effectu, præterquàm quod iuxta eorundem Auctorum doctrinam tolleret cauſæ libertatem, effectus falsò diceretur conditionaliter futurus ſub quibuſvis conditionibus nominatis, ſed deberet dici futurus ſub hac conditione, ſi his, aut illis circunſtantiis illud ſupperadditum adueniret. Denique nec dici poteſt illud poſtremo locò propoſitum, vt, nimirum, futuri conditionalis ratiò conſiſtat in entitatibus cauſæ effectus, & conditionum, quatenùs certo modo ſe habent inter ſe: nullus enim alius modus inter illa fingi poteſt, qui ſit ad rem, niſi dicatur cauſa ita reſpicere effectum, vt illum debeat producere, ſi coniungatur cum his conditionibus. Hoc ipſum tamen, vt cauſa debeat effectũ producere, nihil aliud eſſe poteſt niſi determinatio ipſius cauſæ in actu primo, quæ ab eiuſdem indifferentia, & libertate omnino excluditur. Cùm ergo ratio futuri conditionalis in re contingenti omninò fixa & capax certiſſimæ cognitionis ſita non ſit in vlla re ex quatuor à nobis propoſitis: & ad huiuſmodi rationem futuri conditionalis nihil faciat euentus, qui poſteà conditionibus concurrentibus in tempore ſequatur, ſiquidem permulta dicuntur eſſe conditionaliter futura,

futura, quæ numquam euenient. Nihil ſanè videtur oſtendi poſſe, quod rei contingenti rationem illam tribuat, quam quærimus: ac propterea contingens in ratione futuri conditionalis ſub certiſſimam Dei cognitionem cedere non poteſt. Hæc vero ratio non modò probat huiuſmodi futura conditionalia carere obiectiua veritate neceſſaria; quippe quæ ortum non habeant à determinatione cauſæ, & conditionum antecedentium, ſed probat etiam eadem carere illa veritate contingenti, quam aliqui dicunt his futuris in eſſe ſecundùm euentum contingentem dependentiæ conſequentis ab antecedente, ratione cuius putant effectui in ſe tribui debere rationem futuri conditionalis. Nam procul dubio euentus dependentiæ conſequentis ab antecedente, quatenùs actu reperitur in re, veritatem futuri conditionalis nullo modo conſtituit, vt patet ex iis, quæ ſuprà diximus. Vbi etiam tetigimus diſcrimen inter hæc futura, & futura contingentia abſoluta: quorum euentus in certa differentia temporis emanatus aptiſſimus eſt, vt ſub certiſſimum intuitum cadat: quatenùs verò idem euentus eiuſdem dependentiæ abſtrahit ab eſſe actuali cùm ſit indifferens vt ſit, & non ſit, quia conſequens pro eo ſtatu æquè poteſt ab antecedente pendere, ac non pendere: ne concipi quidem poteſt quo pacto certam futuri conditionalis rationem conſtituat.

Quarta ratio.

QVartò, eadem ſententia probatur; quia in exemplo ſuprà ſæpè propoſito, ſi Deus ante quod,

quodcumque decretum ſciuit hæc futura conditionalia (ſi Petrus in his circumſtantiis collocaretur vellet loqui,& ſi Paulus eodem planè modo in actu primo affectus in eiſdem circumſtantiis conſtitueretur non vellet loqui, aut vellet non loqui) ſi hæc (inquam) Deus ſciuit, ſciuit etiam in aliquo alio inſtanti rationis priori hæc, vt merè poſſibilia, atque inter ſe nullatenus diſcrepantia; nimirum (ſi Petrus poneretur in his circumſtantiis indifferens eſſet ad volendam loquutionem: atque ad oppoſitum,& æquè poſſet vtrumque, & ſi Paulus eodem modo affectus in eiſdem circumſtantiis collocaretur eodem modo ad vtrumque ſe haberet) concedit hoc apertè Suarez in Opuſc. lib. 2. de ſcientia Dei futur. contingent. capite octauo, in explicatione veræ ſententiæ: & patet ex natura rei, nam ratio futuri conditionalis in re contingenti eſt quid contingens; vt enim tradit Molina prima parte quæſt. 14. articul. 13. diſputat. 14. §. 2. Deus: id quod data aliqua hypotheſi futurum eſt ab arbitrio creato eadem hypotheſi data poterat non eſſe futurum: Cùm ergo ſit quid contingens, poſterius omnino eſt omnibus neceſſariis, inter quæ eſt illa mera poſſibilitas, quæ propter indifferentiam,& libertatem arbitrij æquè conuenit volitioni loquutionis, & nolitioni Petri,& Pauli, ſi vterque in eiſdem circumſtantiis collocetur. Hoc autem conſtituto, vt Deus in aliquo inſtanti rationis videatur; ſi Petrus, & Paulus in eiſdem circumſtantiis ponantur æquè vtrumque ſe habere ad volitionem, & nolitionem loquutionis: quia pro eo inſtanti nulla eſt veritas ob-

iectiua futuri, ſed poſſibilis tantùm in vtroque oppoſitorum, ad quæ cauſa libera eſt indeterminata: fit neceſſariò, vt in inſtanti rationis poſteriori non poſſit Deus certò ſcire volitionem Petri conditionaliter futuram, & volitionem Pauli conditionaliter non futuram: niſi aliqua mutatio in his obiectis facta ſit, eò quòd aliquid illis inſit in hoc poſteriori inſtanti rationis, quod non inerat in priori. Si enim vt res ſe habet ad eſſe, ita ſe habet ad cognoſci; cùm in poſteriori inſtanti hæc obiecta tam diuerſa ratione cognoſcantur, opus omnino eſt vt alio modo ſe habeāt, quàm in inſtanti priori.

Huiuſmodi autem mutatio horum obiectorum explicari non poteſt in quo conſiſtat. Vel enim conſiſtit in aliquo quod pertineat ad actum primum, vel in aliquo quod pertineat ad actum ſecundum. Primum dici non poteſt, quia quæ ad actum primum pertinent, neceſſaria ſunt: & proptereà in priori inſtanti obiiciuntur præterquàm quod ponimus circa vtrumque futurum in actu primo eſſe omnia paria: neque dici poteſt ſecundum, quia nullus actus ſecundus creatus eſt ante quodcumque liberum Dei decretum, cùm pro eo ſigno nulla etiam cauſa creata, vel actu ſit, vel etiam abſolutè futura ſit. Neque hîc vlla poteſt afferri inſtantia de futuris contingentibus abſolutis: Quamuis enim Deus ea priùs ratione intelligat, vt poſſibilia, quàm vt futura nobis, & ſibi ſuæque æternitati præſentia: ſicut tamen alia atque alia ſecundùm rationem eſt cognitio; ita etiam præcedit mutatio rationis obiectiuæ: dum enim res contingens cognoſcitur, vt poſſibilis,

cogno

cognoſcitur quatenus eſt in ſua cauſa, quæ poteſt illam producere: & priùs ratione quàm cognoſcatur, vt abſolutè futura nobis, & Deo præſens, intelligitur facta in re ipſa mutatio, eò quòd cauſa tranſierit ad actum ſecundum, & effectus amiſſa ratione entis in potentia cauſæ contenti, factus ſit ens actuale, atque in ſe ipſo pro certa temporis differentia exiſtens.

Confirmatur tota hæc ratio, quia vnumquodque eſt cognoſcibile ſecundùm quod eſt actu, vt docet S.Thom.p.p.quæſt.12.ar.1.quæſt.14.ar.13.quæſt.84.ar.2.quæ.87.ar.1.& alibi, & nihil habet vt explicat Caiet. quæſt.87.citata ar.1. rationem alicuius entis, & veri, niſi quatenus actu rationem illam habet, aut participat. Ergo, vt in poſteriori illo inſtanti rationis volitio Petri ſit futura conditionaliter, & ſub hac ratione certò ſciri poſſit, debet in hoc inſtanti actu habere huiuſmodi veritatem obiectiuam, quam in priori inſtanti rationis non habebat; quámque in hoc etiam poſteriori non habet volitio Pauli, quæ in priori inſtanti numerica ſolùm fuit, & cauſæ differentia diuerſa erat à volitione Petri, ac proinde opus omninò eſt, vt ſit facta realis mutatio; & per hanc mutationem; noua ratio obiectiua, quæ tamen ratio ab eſſentia diuina, aut eſſentia arbitrij creati non emanat, cùm ab illis ſola poſſibilitas huius, & oppoſiti effectus oriatur: neque emanat à ſcientia diuina, quæ hac ipſa ratione obiectiua ſecundùm noſtrum intelligendi modum cum fundamento in re poſterior eſt: neque à diuina libertate cùm illius vſum antecedat: neque à libertate creata, cùm huius opus

 quod

quodcumque, & arbitrij creati exiſtentiam, & diuinæ libertatis vſum prærequirat. Quare, aut hæc ratio obiectiua certæ cognitionis capax ſui ipſius origo eſt,& cauſa,aut certè rei contingenti tribuenda non eſt.

Quinta ratio.

QVintò, eadem opinio probatur; quia contingentia dicuntur futura ex hypotheſi,ſeu ſuppoſitione conditionũ antecedentium ipſum effectum, atque ipſius productionem: Ergo, ſi ſunt infallibiliter futura ſub huiuſmodi conditionibus,ſeu ex earum ſuppoſitione;hoc ipſo habent infallibilitatem emanantem à ſuppoſitione antecedenti, quam infallibilitatẽ Auctores, contra quos agimus in præſentia, putant libertati noſtræ quàm maximè aduerſari iuxta doctrinam S. Anſelmi de concord. præſcient. & prædeſtin. capit. 1.

Quod ſi dicas contingentia non eſſe infallibiliter futura ſub certis conditionibus, & ſola conditionum ſuppoſitione: ſed prætereà debere ſupponi vt effectus, qui ſub his conditionibus poſſet non eſſe; ſub his ipſis liberè ſit futurus: quo poſito infallibiliter, & neceſſariò futurus eſt ea neceſſitate, qua omne quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe; & propterea eſt etiam aptus, vt ſit obiectum certiſſimæ cognitionis. Si hoc (inquam) dicatur contra eſt,quia iuxta hanc doctrinam; poſt ſuppoſitionem illam antecedentem ipſarum conditionum opus eſſet aliquo, ex quo ſuppoſitio alia conſequens oriretur; & aliqua reali

reali ratione obiectiua, in qua ipſa formaliter conſiſteret: ſicut quia ſola ſuppoſitio antecedens, vt ego ſim in his circumſtantiis realiter conſtitutus, non eſt ſatis, vt mea volitio habeat rationem abſolutè futuri nobis; & præſentis Deo: hinc eſt, vt poſt illam ſuppoſitionem; antequàm mea volitio videatur à Deo, vt præſens; intelligatur intercedere concurſus generalis Dei, & particularis influxus meæ voluntatis in ipſam volitionem: à quibus influxibus manat exiſtentia actualis volitionis, eiúſque præſentia, in qua conſiſtit ſuppoſitio conſequens, ratione cuius certò ſciri poteſt. In propoſito autem & id vnde oriatur ſuppoſitio illa conſequens futuri conditionalis; & id in quo formaliter conſiſtat, nec oſtendi, nec eſſe poteſt: quod patet tum ex iis quæ ſuprà diximus, præſertim in proxima ratione, tum quia ſi eſſet aliquid ex quo ſuppoſitio illa conſequens oriretur; non poſſet ab eo oriri neceſſariò: alioqui non eſſet futurum conditionale contingens, & liberum (de quo agimus) ſed neceſſarium. Nec rurſus ab eodem poſſet oriri liberè, quia huiuſmodi ſuppoſitio conſequens ratione cuius dicitur à Deo infallibiliter ſciri contingens ante omne decretum, vt ſub conditione futurum; debet eſſe in inſtanti rationis antecedente decretum diuinum; In quo tamen inſtanti nullus eſſe poteſt vſus libertatis: ex quo etiã patet (præter ea quæ colliguntur ex ſuperioribus) quare oſtendi non poſſit, in quo verè, & formaliter conſiſtat hæc ſuppoſitio cõſequens futuri conditionalis contingentis, quia, nimirum, quod nullam cauſam habere poteſt, nihil eſt.

Atque ex his conſtat non eſſe ſatis quod aliqui dicunt; ideò futura hæc certò cognoſci à Deo v.g. vt mea volitio infallibiliter ſit futura, ſi hæ conditiones ponantur; quia reuera ſi hæ conditiones ſint, ipſa futura eſt: quia ergo pro mea innata libertate me ipſum liberè mouerem, & determinarem ad meam volitionem eliciendam, ſi hæ conditiones exiſterent. Hoc (inquam) non eſt ſatis; quia hoc ipſum, quod, ſcilicet, ego me liberè determinarem ad volendum, ſi hæ conditiones exiſterent: non eſt aliqua ratio, quæ debeat præexiſtere ſolùm in mente alicuius; ſed antequàm in mentem vllam venire poſſit, debet eſſe veritas obiectiua realis ab alio pendens, vtpote ens creatum, & non à ſe: & poſterior alia ratione obiectiua reali; quæ eſt mea indifferentia ad me ſub his cōditionibus determinandum, & non determinandum. Quare cùm pro ſigno antecedente omne decretum diuinum (in quo dicitur mea volitio eſſe conditionaliter futura) oſtendatur nihil eſſe poſſe à quo realis illa ratio conditionaliter futuri in meam volitionem deriuetur: & nihil in quo huiuſmodi obiectiua veritas formaliter conſiſtat: hoc ipſo oſtenditur mea volitio in eo inſtanti rationis verè non eſſe conditionaliter futura per ordinem ad has conditiones: nec aliquid eſſe in re, à quo moueri poſſit in eodem inſtanti rationis vllus intellectus ad certam præſcientiam meæ volitionis, vt futuræ, ſi hæ conditiones exiſterent. Quò fit, vt dum dicitur mea volitio certò præſciri à Deo ante omne decretum, vt conditionaliter futura, quia re vera futura eſt, ſi conditiones ponantur; videatur

tur pro ratione afferri illud ipſum quod eſt in quęſtione; & principium apertè peti.

Sexta ratio.

SExtò probatur, quia futurum conditionale cōtingens, quatenùs tale eſt non poteſt cognoſci, niſi in cauſa, ſed in ſua cauſa, vel præcisè accepta, vel ſimul cum quibuſuis conditionibus non poteſt certò cognoſci: ergo ſimpliciter certò cognoſci non poteſt vllum contingens ſub ratione futuri conditionalis. Maior probatur, quia res contingens, quatenùs dici poteſt habere rationem futuri conditionalis, nullum habet eſſe, niſi in cauſa, quia ſub ea ratione abſtrahit non ſolùm ab exiſtentia ſui, ſed etiam ab exiſtentia cauſæ, & conditionum omnium, quæ ad ipſius productionem prętequiruntur: ex quo ſequitur, vt cognoſcibilitatem etiam non habeat, niſi in cauſa, cum cognoſcibilitas ſit paſſio quædā ſola ratione diſtincta ab eo cuius eſt paſſio: cúmque certum ſit contingens, quatenùs eſt conditionaliter futurum, non eſſe ens actu, ſeu extra cauſas: nec eſſe cognoſcibile, vt exiſtens: hoc ipſo conſtat illud ſub ea ratione eſſe ens in potentia, & cognoſcibile ſolùm in cauſa, non modò quia illationem hanc expreſsè approbat S. Tho. p. p. quæſt.14. ar. 13. & aliis locis ſuprà citatis: ſed etiam quia diuiſio entis in ens actu, atque ens in potentia eſt omninò adæquata, quippe quæ facillimè reducatur ad mēbra contradictoria, cùm idem ſit eſſe ens in potentia, atque eſſe ens, quod non ſit actu. Quò fit, vt etiamſi actu aliter exiſtant conditiones omnes ſub quibus dicitur effectus contingens eſſe

futurus: in primo tamen inſtanti rationis, in quo intelliguntur exiſtere; effectus ipſe in cauſa tantùm habeat eſſe, & cognoſcibilitatem, quia in eo inſtanti eſt ſolùm actus primus vndequaque perfectus, nondum autem eſt actus ſecundus: Quare multò magis fatendum eſt, cognoſci poſſe ſolùm in cauſa quodcumque contingens, quatenùs eſt conditionaliter futurum, hoc eſt, quatenùs abſtrahit etiam ab exiſtentia quicquid pertinet ad actum primum.

Huc accedit quod eſſe aliquid poſſibile nihil eſt reale, niſi potentia cauſæ, quæ poteſt illud producere; ſiquidem poſſibilitas eſt ſolùm denominatio extrinſeca à potentia productiua: ex quo fit, vt non aliter cognoſci poſſit ipſa poſsibilitas, vel effectus vt poſſibilis, quam per cognitionem potentiæ ipſius cauſæ, quatenùs ad effectum refertur: eſſe ergo conditionaliter futurum, cùm ſit intra ambitum entis poſſibilis (extra quem nihil conſtituitur niſi per actualem exiſtentiam) erit etiam tale poſſibile ſub genere poſſibilis; & talis denominatio extrinſeca à potentia productiua ita ſe habente ad effectum: ac proptereà cum genere poſſibilis retinebit etiam limites cognoſcibilitatis, ita vt ſit cognoſcibile in cauſa tantùm: Nec refert quod cùm aliquid intelligitur futurum; antequàm de eo feratur iudicium, apprehendatur vt quid coniunctum ex eſſentia, & exiſtentia: & huic coniuncto tribuatur poſteà ratio futuri conditionalis, vel abſoluti. Ex quo inferebat aliquando quidam vir doctiſſimus futura hæc conditionalia ratione illius apprehenſionis cognoſci, vt includentia exiſtentiam; ac proinde non cognoſci,

ſci in cauſa. Hoc (inquam) non valet: nam cùm calefactio (exempli cauſa) cognoſcitur, vt abſolutè ſutura in igne approximato tanquam in obiecto primario mouente & determinante intellectum; adeſt illa apprehenſio futuræ calefactionis ante iudicium vt alicuius conflati ex eſſentia, & exiſtentia. Et tamen verè ac ſimpliciter dicitur calefactio non cognoſci in ſe, ſed in cauſa: Ratio autem quare nihil impediente eiuſmodi apprehenſione futura omnia cognoſcantur in cauſa eſt, quia ad rationem futuri pertinet illud eſſe quod formaliter eſt eſſe futuri; & præterea aliud eſſe quod eſt quodammodo futuritionis(vt ita dicam) terminus: eſſe enim futurum eſt eſſe in cauſa determinata ad ſe producendum, ſibíque tribuēdum eſſe aliud actuale extra omnem cauſam, ſed hoc eſſe actuale eſt id quod reſpicit, vt terminum formalis ratio futuri; quæ eſſentialiter eſt illud eſſe in cauſa, in qua ſolùm poteſt cognoſci, cùm illud cognoſcatur in cauſa, quod attingitur in cognitione & penetratione ipſius cauſæ. Ex his ergo fit, vt dum concipitur res vt futura, licèt aliquo modo concipiatur etiam eſſe ipſius extra cauſas, non tamen propterea dici poſſit, quatenùs futura eſt non cognoſci in cauſa: vera eſt igitur illa maior. Futurum, ſcilicet conditionale contingens, vt tale eſt, non niſi in cauſa cognoſci poſſe. Minor verò, vt, ſcilicet, in cauſa certò cognoſci nequeat. Probatur, quia cauſa futuri conditionalis contingentis & liberi ex ipſiſmet Auctoribus ſententiæ quam oppugnamus; tum ſecundùm ſe conſiderata, tum etiam quibuſcumque conditio-

nibus antecedentibus actum ſecundum eſt indifferens ad operandum, & non operandum, ac proptereà effectus, vt eſt in illa indifferens, omnino eſt ad eſſe & non eſſe, cum qua indifferentia rationem futuri certò cognoſcibilem habere non poteſt: ſicut enim determinatio cauſę tribuit effectui certam rationem producendi, & futuri; ita eiuſdem indifferentia ad producendum, & non producendum efficit, vt effectus, neque ſit futurus, neque poſitiuè non futurus; ac proinde, vt quatenus in ea cognoſcitur futurus ſub certam, & infallibilem cognitionem non cadat, quia in cauſa cognoſcitur eo modo, quo cum ipſius cauſę vi, & cognoſcibilitate eſt connexus. Neque vrgere videtur quod Deus perfectiſſimam quandam cõprehenſionem habeat arbitrij creati, atque eorum omnium, quæ ad actum allicere, aut ab illo impedire, vel retardare poſſit; ex perfectione enim cognoſcentis, & cognitionis fieri non poteſt, vt cognoſcatur illa determinata ratio, quæ in obiecto reperitur. Nam quò intellectio perfectior eſt, eò magis eſt obiecto conformis: & ſicut impoſſibile eſt, vt qui lancem videt æquilibrio conſtitutam quantacumque cognitionis perfectione in illam feratur; eam videat in vnam magis quàm in aliam partem propendere, ita impoſſibile eſt, vt qui cauſam liberam videt in his circumſtantiis conſtitutam, in quibus retinet indifferentiam ad vtrumlibet: videat illam etiam cum infinita cognitionis perfectione determinatam ad vnum, vel videat in ea aliquid quod effectui tribuat determinationem ad eſſe, certámve rationem futuri, aut abſoluti, aut conditionalis, quare vera etiam eſt

minor

minor illa ſubſumpta, vt futurum conditionale contingens in cauſa etiam accepta cum quibuſuis conditionibus certò cognoſci nequeat: ex quo reliquum eſt, vt huiuſmodi futurum nulla certa cognitione ſciri poſſit.

Septima ratio.

SEptimò probatur, quia qui perfectiſſimè videt cauſam liberam in quibuſcumque circunſtantiis, ſeu ſub quibuſuis conditionibus actu exiſtentibus, & purificatis, abſtrahendo ab actuali operatione illius; non poteſt certò videre quid illa liberè, & abſolutè operatura ſit, non modò ex ſententia S. Thomæ, vt conſtat ex ſuperiori capite, ſed etiam ex ſententia omnium ferè Theologorum, vt teſtatur Suarez in Opuſc. lib. 2. de ſcien. futur. conting. cap. 7. vbi citat complures: quia, nimirum, cauſa libera ſimul cum quibuſcumque circumſtantiis, aut cōditionibus non eſt niſi principium indifferens ad operandum, & non operandum; atque ad operandum hoc, & illud: & ſublata determinatione cauſæ nihil videtur fingi poſſe, in quo ſita ſit formalis ratio futuri contingentis abſoluti certò cognoſcibilis ſub hac ratione contradiſtincta à ratione exiſtentis, & præſentis. Ergo ſimiliter impoſsibile eſt, vt certò præſciatur quid eadem cauſa libera abſtrahens ab exiſtentia conditionaliter operatura ſit, habita ratione earumdem circumſtantiarum, tanquam conditionum, & nullo præcedente primæ cauſæ decreto cui certitudo nitatur. Nulla enim ratio afferri poteſt, quare ſit aliqua maior connexio inter hanc

volitio

volitionem vt conditionaliter futuram, & cauſam liberam ex hypotheſi cōiunctam cum his circumſtantiis & conditionibus, quàm ſit inter eamdem volitionem, vt abſolutè futuram, atque eandem cauſam liberam, vt reuera in his ipſis circūſtantiis & conditionibus exiſtentibus conſtitutam. Qua etiā de cauſa ſi in futuro conditionali contingenti ante omne diuinū decretū eſſe poſſet vlla ſuppoſitio conſequens, ob quam res contingens in ratione futuri conditionalis dici poſſet neceſſaria, ea neceſſitate qua omne quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe: ſimilis etiam ſuppoſitio conſequens reperiretur in futuris contingentibus abſolutis, quia ſuppoſitio illa in futuro conditionali ſolùm fingi poteſt conſiſtere in connexione contingenti inter antecedens, & conſequens propoſitionis conditionalis, ob quam de facto antecedens in rerum natura conſtituendum non ſit abſque conſequenti: quæ connexio, poſito quod antecedēs eiuſdem conditionalis re vera exiſtat, non modò non deſinit, ſed magis ac magis viget, cùm ſuum effectum ſortiri debeat, alioqui enim cōuinceretur, non pręceſſiſſe, dum antecedens abſtrahebat ab exiſtentia. Quare in huiuſmodi etiam connexione conſtituenda erit ſuppoſitio conſequens, ratione cuius futurum contingens abſolutè ſecluſa omni determinatione cauſæ, atque ipſius contingentis exiſtētia, neceſſariū ſit in ratione abſolutè futuri neceſſitate ex ſuppoſitione cōſequenti, ita vt hęc neceſſitas conueniat contingenti antequā exiſtat ob coniunctionem quam habet cum conditionibus, quandó de facto exiſtit. Quod totum ne concipi quidem vlla ratione poteſt, & prætereà ſi ita ſe res habet

habet futurum neceſſarium non modò cognoſci à Deo poterit certò vt abſolutè futurum ob determinationem cauſæ proximæ, & ob actualem ſui exiſtentiam in certa differentia temporis Deo notam ab æterno, ſed etiam præſcindendo ab vtraque hac ratione ob eam connexionem effectus cum certis conditionibus, quæ neque à determinatione cauſæ, neque ab exiſtentia effectus formaliter conſtituitur, & conuenit rei futuræ, antequam exiſtat ex eo ſolùm quod in re dum exiſtit ſit actualis coniunctio effectus cum illis conditionibus, quæ tamen à communi omnium ſenſu abhorrent.

CAPVT IV.

Eadem ſententia negans Deo ſcientiam contingentium ſub conditione futurorum probatur ex refutatione eorum, quæ in oppoſitæ opinionis explicationem, & confirmationem afferri ſolent.

VT confirmationi propoſitæ ſententiæ nihil deſit, præcipua oppoſitæ opinionis fundamenta, quibus ipſius explicatio, at probatio nititur, funditus euertere conabimur. Quod ergo attinet ad explicationem.

Primo loco, vt ſuam in hac re ſententiam explicet Valentia. p. p. q. 14. ar. 13. puncto. v. ſub tit. *Vnde habeat certitudinem diuina cognitio futurorum*, ait, modum agnoſcendi futura contingentia conditionalia eſſe ſecundùm rationem actuali eorum exiſten

exiſtentia,& omni reſpectu ad illam: cognoſci autem eadem futura à Deo non in cauſis,aut illarum diſpoſitione,ſed in ſuæ potiùs diuinæ ſcientiæ infinitate. Cui conſentit Molin.p.p.q.14.ar.13.diſput. 14.& 15.vbi aſſerit, Deum cognoſcere futura contingentia conditionalia in ſua eſſentia ex infinita atque eminentiſſima comprehenſione arbitrij creati,ita vt ratione infinitę perfectionis ſuæ ſcientiæ,ac propter eminentiſſimam quandam, & vndequ aque illimitatam comprehenſionem arbitrij creati certò cognoſcat, quod ſuapte natura & vi ſuæ entitatis non eſt certò cognoſcibile, ſed eſt quid omnino incertum:quod etiam habet eadem ar. 13. diſput. 17. & eadem p.p. q. 22. ar. 4.in fine, & alibi.

Sed contra Valentiam eſt,quia poſita quacumque infinitate ſcientiæ ſub illam cadere non poteſt id quod ex ſe non habeat veritatem obiectiuam præexiſtentem in inſtanti rationis antequàm per ſcientiam repræſentetur, quia ſcientia quæcumque in ratione imaginis prærequirit obiectum ſub illo eſſe, quod ſciendum eſt ex Ariſt. in Poſtprædicam. cap.de priori, & 1.Perhiermen.cap.vlt. Cúmque ipſemet Valentia ibidem fateatur, huiuſmodi futura non cognoſci ex ſuis cauſis, aut earum diſpoſitione tanquam in ratione obiectiua, & exploratiſſimum ſit infinitatem ſcientiæ rationem obiectiuam ſui ipſius eſſe non poſſe:oſtendere omnino debuiſſe in re contingenti rationem obiectiuam futuri conditionalis quæ per ſcientiam etiam infinitam percipi poſſit. Nam ſumma perfectio ſcientiæ non in eo conſiſtit vt intelligenti repræſentet obiectum ſub ratione aliqua,quæ in illo

illo verè non reperiatur: nam hoc eſt potiùs ſumma imperfectio; ſed conſiſtit in maxima conformitate ipſius ſcientiæ cum obiecto ſecundùm rationem, quam ex ſe verè habeat: ita vt non ideò ſit tale, quia vt tale cognoſcitur, ſed ideò vt tale cognoſcatur, quia tale eſt. Quod confirmatur egregiè ad hominem ex doctrina ipſius Valentiæ, & cæterorum Auctorum huius ſcientiæ conditionalium contingentium ante decretum: omnes enim contendunt à libertate creata pendere, vt hæc potiùs pars quàm oppoſita videatur eſſe conditionaliter futura, ita vt non ideò ſit futura res, quia vt futura cognoſcitur, ſed contrà ideò vt futura cognoſcatur, quia re vera futura eſt: Ita Valen. p.p.q.14.ar.13.puncto 5.ſub titulo vlt. Illuſtriſſimus Bellarm. de gratia & liber. arbitr. lib. 4.cap.13. Molin. p.p.q.14. ar.13.diſput.17.q.23.ar.4. & 5.diſput 1.membro 9. Suares in Opuſc. lib. 1. de abſol. ſcien. futur. conting. cap. 2. ſub tit. *Futura hac determinatam habent veritatem*, & ibid. cap. v. ſub tit. *Scientia Dei, vt efficax, non eſt ſufficiens ratio futura cognoſcendi*: & cap. 9. ſub tit. *Aduerſus prædicta difficultates nonnullæ.* Et denique Vaſquez p.p.q.14.ar.13.diſput.68.cap.6. Qui Auctores vel expreſsè loquuntur (vt præſertim Molin.) de hac ipſa ſcientia conditionalium, vel quamuis loquantur de ſcientia futurorum contingentium abſolutorum, quia tamen eſt eadem ratio etiam de ſcientia contingentium ſub conditione futurorum ſatis oſtendunt, in his etiam ab ipſiſmet admittendam eſſe determinatam rationem obiectiuam priorem ſecundùm noſtrum modum intelligendi cum fundamento in re, illa ſcientia qua cognoſcuntur. Contra ea verò quæ retulimus

ex Molina, quatenus ipſe aſſerit certò à Deo cognoſci quod in ſe incertum eſt, vrgent quæ modo attulimus contra Valentiam, quatenus autem hæc futura conditionalia contingentia cognoſci ait ex comprehenſione arbitrij creati, reiicitur ſatis ex ratione 6. cap. ſuperiori allata.

Secundò, ad eandem ſententiã explicãdam pertinet quod ait Suarez in Opuſc. li. 2. de ſcien. condit. futur. conting. cap. 7. ſub titulo, *vera ſententia*. Nimirũ, huiuſmodi futura ſciri à Deo nõ in cauſa, ſed quatenùs immediatè intuetur veritatem, quæ in ipſis eſt: quam veritatem ſuprà cap. 5. ſub titulo. *Tertia ſententia*, ait, conſiſtere non in vi illationis ex virtute antecedentiũ, ſed in eo ſolùm quod effectus fuiſſet de facto cum illa cauſa & conditionibus coniungendus, ſi extitiſſent.

Sed contrà eſt, quia hoc ipſum, quod, ſcilicet, effectus fuiſſet coniungendus cum cauſa & conditionibus: debet eſſe aliquid reale in obiecto, & aliquis realis nexus inter antecedens, & conſequens exiſtens ante omne decretum diuinum priùs ratione cum fundamento in re, quàm ſit ſcientia diuina huiuſmodi conditionalium, qui nexus pro eo conſtanti rationis nullus eſſe poteſt. Atque hæc omnia ſatis probata videntur cap. ſuperiori: ſublato ergo huiuſmodi nexu nulla poteſt eſſe veritas determinata in propoſitione conditionali contingenti, quæ tanquam vna accipitur, & explicatur à Suarez tit. cap. 5. ſub eod. tit. Tertia ſententia & tanquam vna verè eſſe non poteſt determinatè ſine conſtanti nexu inter antecedens & conſequens, ex quibus conflatur.

Adde quod ſi in hac ſententia retineatur explicatio

explicatio hæc à Suarez allata ſequitur omnino, vt non ea tantùm ratione Deus certò cognoſcat futura contingentia abſoluta quatenùs ea intuetur vt ſibi præſentia, ſed pluribus modis vt expreſsè fatetur idem Suarez cit.lib.2.cap.8.ſub titulo. Ad fundamenta contraria ſententiæ Quod tamen nos cap. 2.ſatis oſtendimus aduerſari ſententiæ S.Thomæ.

Hæc de explicationibus illius opinionis, quam oppugnamus.

Expenduntur Probationes ſententiæ aſſerentis, ſcientiam diuinam contingentium ſub conditione futurorum ante diuinum decretum.

IAm quod attinet ad probationes: illas dumtaxat expendemus quæ ſunt à priori, quia; ſcilicet, eò ſpectant, vt oſtendant veritatem obiectiuam cognoſcibilem eorum futurorum: clariſſimum enim eſt, nulla alia ratione ſatis probari poſſe huiuſmodi ſcientiam, ſi veritas illa obiectiua minimè probetur.

Primo igitur loco expendi poteſt illa probatio explicationi etiam ſatis admixta, quam affert Vaſquez p.p.q.14.ar.13.diſput.67.cap.3.& Suarez in Opuſc.lib.2.de ſcientia condit. futur.conting. cap.5. prope fin.dum ait, quemadmodum euêtus rei, qui in certo tempore de facto accidit: oſtendit rem illam tempore antecedenti veram habuiſſe rationem abſolutè futuri, & verè dici potuiſſe futuram, ita euentum rei contingentis per concurſum, & influxum aliquarum condi-

tionum ſatis oſtendere, eam rem per ordinem ad illas conditiones,quarum impulſu, & influxu de facto euenit, verè fuiſſe conditionaliter futuram, priùs ratione quàm futura eſſet abſolutè. Ex quo rurſus colligi putat,huiuſmodi veritatem conditionalem eſſe etiam in iis contingentibus, quæ numquam exeunt extra cauſas.

Contra hanc autem probationem eſt primò, quia etiamſi faciamus ita eſſe quod aſſeritur de futuris contingentibus abſolutis.Non tamen inde valet illatio de futuris contingentibus conditionalibus,Nam cum futura abſoluta actu exiſtant in aliqua differentia temporis, eo ipſo habent rationem aliquam obiectiuam determinatam, quæ ſit terminus conſtantis conformitatis,quæ inter cognitionem,& ipſa intercedat:futura verò conditionalia contingentia, quia abſtrahunt ab actuali exiſtentia:& priùs quàm exiſtant,ſunt indeterminata ad eſſe, & ad non eſſe. Hinc fit, vt careant obiectiua ratione determinata,quam reſpicere poſſit cognitio omnino certa & infallibilis.

Secundò contra eamdem probationem eſt, quia ex eo quod effectus contingens aliquando eueniat:non proinde fit, vt antequàm exiſteret, vera eſſet propoſitio de ipſo futuro ſub ratione futuri,vt ſenſit Ariſt. 1. Perhierm.cap.vlt.ibi *Amplius ſi eſt album nunc*, vt poſt antiquiores Peripateticos explicant,inter cæteros S. Thom. & Toletus,ibid.in fine. Sicut enim euentus rei,quæ in certa differentia temporis producatur non efficit, vt in tempore anteacto ex parte obiecti vlla fuerit determinatio ad eſſe potiùs quàm ad non eſſe,

eſſe,ſeu vlla ratio obiectiua diſtincta ab indifferentia ad vtrumlibet,& capax certæ cognitionis, ita idem euentus non efficit, vt eo tempore propoſitio de futuro, vt ſic ſit vera & certa. Quod confirmatur, quia ſi ſola exiſtentia rei contingentis eſſet ſatis, vt propoſitio de illa ſub ratione futuri eſſet vera,& certa ante ipſius exiſtentiam, futura contingentia abſoluta ratione exiſtentiæ à tempore poſteriori, ſaltem à Deo certo cognoſci poſſent in ratione futuri,& in cauſa quod tamen vbique negat S. Thom. vt vidimus cap.2. Reliquum eſt ergo, vt euentus non oſtendat veritatem determinatam rei contingentis in ratione futuri abſoluti. Cúmque in futuris conditionalibus, vt ex ſuperioribus patet, nulla alia ratio quàm futuri conſiderari poſſit, quia abſtrahunt ab exiſtentia & ratione præſentis; omnino ſequitur vt nullus euentus quidquam in ipſis oſtendat determinatæ veritatis. Quid verò ſentiendum ſit de communi hominum ſenſu, quo iudicari ſolet verum dixiſſe, qui aliquid contingens futurum eſſe prædixit; cùm euentus ipſe cernitur, attingemus infrà, cap.6.

Alia eiuſdem opinionis probatio reÿcitur.

AB iiſdẽ Auctoribus locis ſuprà citatis; nimirum, à Vaſquez p.p. diſp.67.c.3.&Suarez li.2.de ſcien.cond.futu.contin.c.5. probatur eadẽ ſententia ex natura contradictoriarũ, quarũ vna eſſe debet determinatè vera,& altera determinatè falſa, ſicut in futuris contingentibus abſolutis, ita & in conditionatis: non enim poteſt vlla eſſe,

aut intelligi contradictio abſque huiuſmodi diuiſione veritatis, & falſitatis, quia eo ipſo quod vna ex contradictoriis non eſt conformis obiecto, nec vera eſt conformis & vera oppoſita: quò fit vt obiectum quodcumque, de quo poſſunt proferri propoſitiones contradictoriæ veritatem obiectiuam habere debeat vni parti contradictionis determinatè reſpondentem: Ex quo ſequitur, vt huiuſmodi obiectiua & determinata veritas in his futuris contingentibus conditionatis omnino admittenda ſit.

Sed contrà eſt primò, quia licèt ex contradictoriis de præſenti & præterito neceſſe ſit hanc determinatè eſſe veram: illam autem falſam: ſecùs tamen eſt in contradictoriis de futuro contingenti abſoluto, vt docet Ariſt. 1. Perhierm. cap. vlt. & ibi poſt Antiquiores Peripateticos, Sanct. Thom. Tolet. & alij; Ergo multò minùs admittenda erit illa diuiſio determinatæ veritatis à falſitate in contradictoriis de futuro contingenti conditionato.

Secundò, contra eamdem probationem eſt, quia eadem prorſus ratione contra S. Thom. & rei veritatem, & contra pleroſque Auctores eius opinionis quam oppugnamus, probari poſſent, futura contingentia eſſe certò cognoſcibilia, prout ſunt in cauſa. Cùm enim voces immediatè ſignificent conceptus, & res prout conceptibus ſubſtant ex Ariſt. 1. Perhierm. initio, cúmque futura contingentia nos concipiamus tantum, ſecundum illud eſſe quod habent in cauſa, vt ſæpè docet S. Thom. loc. ſup. cit. initio cap. 2. ſequitur omninò, vt contradictoriæ propoſitiones, quæ

nobis

nobis vſurpantur de futuris contingentibus ſint contradictoriæ de ipſis, quatenùs futura ſunt,& prout ſunt in cauſa. Si ergo ex quibuſcumque contradictoriis etiam de futuro contingenti hæc determinatè vera eſt, illa autẽ falſa; Vna etiam ex noſtris contradictoriis de futuris contingentibus determinatè erit vera, & altera falſa, & conſequenter contingentia ipſa, ſecundùm illud eſſe quod à noſtris contradictoriis reſpicitur, hoc eſt, ſecundùm illud eſſe quod habent in cauſa, habebunt determinatam veritatem obiectiuam: ac proinde ſub ea ratione certò & infallibiliter cognoſci poterunt ſaltem à Deo.

Tertiò contrà eſt, quia ex natura contradictoriarum probari non poteſt, vt Deus certò præſciat conditionales indefinitas contingentes, vt ſi in communi proferantur abſtrahendo à ſingularibus perſonis, vel circumſtantiis, vt expreſsè tradit Suarez in Opuſc. lib. 2. de ſcien. condit. futur. conting. cap. 6. in reſp. ad 2. Ergò ex eadem etiam contradictoriarum natura probari non poterit præſciẽtia earumdem conditionalium quatenùs indefinitæ nõ ſunt, nec abſtrahunt à ſingularibus, quia aut vis illa contradictoriarum vniuerſalis eſſe debet, aut ipſa per ſe nihil probat. Et ſicut inter antecedens illarum conditionalium, & conſequens dicetur nulla eſſe connexio, ita etiam quicumque negant hanc ſcientiam ante decretum Dei, contendunt inter antecedens quantumuis definitè, & cum omnibus ſingularibus acceptum, & conſequens nullam omnino eſſe connexionem.

Quartò contra eamdem probationem eſt, quia

ipſa ſua ſponte corruit ex eo ſolùm quod veræ contradictoriæ de futuris contingentibus ex hypotheſi afferantur. In his enim propoſitio negatiua continere debet negationem ante particulam, ſi, Quare non ſunt contradictoriæ hæ propoſitiones, ſi Petrus conſtituatur in his circũſtantiis volet ambulare: ſi Petrus conſtituatur in his circumſtantiis nolet ambulare, vel volet non ambulare: vtraq; enim eſt affirmatiua, cùm vna affirmet futuram volitionem ambulationis propter illas conditiones. Alia propter eaſdem conditiones affirmet futuram negationem volitionis, aut volitionem oppoſitam. Ideò ad veram negatiuam in propoſito requiritur, vt negetur dependentia effectus à conditionibus, quæ dependentia affirmatur in parte contradictionis affirmatiua. Hoc non autem accidit niſi cùm particulæ, ſi, præponitur negatio, vt ſi dicas, Non ſi Petrus cõſtituatur in his circũſtantiis volet ambulare; per hanc enim propoſitionem negatur illa connexio volitionis Petri cum illis conditionibus, quæ affirmata fuerat in propoſitione affirmatiua; & ideo hæc ſola eſt vera contradictoria illius. Tota hæc doctrina eſt eorum etiam Auctorum, quorum ſentẽtiam in præſentia oppugnamus. Eam enim expreſsè tradit Vaſquez p. p. q. 14. art. 13. diſput. 67. cap. 3. in fine, & cap. 4. & Toletus libr. 1. Introductionis in Dialecticam Ariſt. c. 21. Hoc autem conſtituto, vt contradictoria negatiua in propoſito ſit ſolum quando particulæ, ſi, præponitur negatio. Ab iis qui Deo negant præſcientiam futurorum contingentium conditionatorum ante decretum; facilè concedi poterit

ex

ex contradictoriis de huiuſmodi futuris, vnam determinatè veram eſſe, alteram verò determinatè falſam, ita, nimirum, vt negatiua ſemper vera ſit, quia negat quamcumque connexionem inter antecedens, & conſequens conditionalis contingentis. Affirmatiua autem quæ aliquam connexionem affirmat ſemper ante decretum ſit falſa. Ex quo patet, quomodo hæc probatio, contra quam argumentamur; ſua, vt diximus, ſponte corruat, quia non probat eſſe in Deo ante decretum præſcientiam partis affirmatiuæ in his conditionalibus, ſed partis negatiuæ tantùm: cuiuſmodi præſcientia non eſt illa quam probare contendunt Auctores, contra quos agimus: neque vſui eſſe poteſt illis ad conciliandam arbitrij libertatem cum efficacitate gratiæ, in qua tamen conciliatione explicanda huic potiſſimum præſcientiæ niti ſolent, cùm per eam velint à Deo cognoſci connexionem quandam contingentem inter vocationem hanc, vel illa ratione accommodatam humano affectui, & futurum conſenſum.

Tertia eiuſdem ſententiæ probatio oppugnatur.

TErtio loco veritas obiectiua futuri conditionalis contingentis probari poteſt ex Suarez in Opuſc. lib. 2. de ſcien. condit. futur. conting. cap. 5. ſub tit. Tertia ſententia, Poſito enim quod in propoſitionibus de huiuſmodi futuris locum non habeat vis illationis ex virtute antecedentis; ſed ſolùm adeſſe poſſit veritas ſimplicis affirmationis vnius de alio, per quam affirmetur talis effectus coniungendus fuiſſe de facto cùm tali cauſa, ſi in

illis conditionibus extitiſſet. Quod huiuſmodi veritas futuri conditionalis contingentis diſtincta à neceſſitate conſequentiæ verè ſit in re, probat, quia viri etiam docti non ſtatim reiiciunt propoſitiones affirmatiuas conditionales de futuris contingentibus tamquàm falſas, ſed vel ambigui ſunt; vel coniecturis ducũtur ad aſſentiendum alteri parti; quod ſignum eſt in his loquutionibus affirmari ſolam coniunctionem vnius cum alio in tali euentu; & ratione huius coniunctionis adeſſe veritatem obiectiuam, quia alioqui omnes huiuſmodi propoſitiones eſſent euidenter falſæ.

Sed contrà eſt primò, quia tantùm abeſt, vt ambiguitates, & aſſenſus coniecturales, ac deliberatiui Doctorum ac prudentium virorum oſtendant in his futuris conditionalibus contingentibus determinatam illam veritatem reſpondentem infallibilitati cognitionis diuinæ, quam Suarez & alij probare contendunt: vt potiùs illam omnino excludant: ſi Ariſtotelis ingenio in diiudicandis illationibus quidquam concedendum eſt. Is enim 1. Perihierm. cap. vlt. ex prudentium ambiguitate, conſultatione, ac deliberatione circa futura contingentia abſoluta illud exiſtimauit demonſtrari, vt, ſcilicet, neutra contradictoriarum de illis futuris per ſe conſiderata determinatè ſit vera, aut falſa; Quem ibi ſequitur præter alios complures S. Tho. Patet autem eandem omninò eſſe in propoſito rationem de conſultatione ac deliberatione, circa contingentia, ſiue vt abſolutè futura, ſiue vt futura ſub conditione.

Secundò contrà eſt, quia ſi argumentum ex Suarez allatum valeret ad probandam veritatem

obie

obiectiuam determinatam in futuris contingentibus conditionalibus, eadem prorſus ratione, non modò contra S. Tho. & rei veritatem, ſed etiam contra ipſummet Suarez in Opuſc. lib. 1. de abſolut. ſcien. futur. conting. cap. 3. probare poſſemus futura contingentia abſoluta quatenùs futura ſunt, atque vt ſunt in cauſa, habere veritatem obiectiuam determinatam quæ poſſit eſſe terminus infallibilis cognitionis, vt in ſimili etiam ſuprà deduximus contra ſecundam probationem. Cùm enim propoſitiones noſtræ de huiuſmodi futuris (vt ſuprà probauimus) verſentur circa illa ſolùm, vt futura ſunt & ſecundùm eſſe, quod habent in cauſa: Illis tamen auditis docti & prudentes viri ad ipſammet cauſam, & eſſe quod in ea habent contingentia reſpicientes, eas non ſtatim reiiciunt vti falſas. Sed vel ambigui ſunt, vel ex probabilibus coniecturis vni parti potiùs quàm alteri aſſentiuntur, ſi hoc igitur ſatis eſt ad oſtendendam veritatem; quæ per infallibilem cognitionem ſciri poſſit in futuris contingentibus conditionatis: erit etiam ſatis ad ſimilem veritatem demonſtrandam in futuris contingentibus abſolutis vt futura ſunt, & ſecundùm eſſe quod habent in cauſa cum hoc ipſorum eſſe in cauſa ambiguas reddat prudentes viros, & in diuerſas coniecturas trahat abſque iudicio certè falſitatis in illis propoſitionibus, quæ hæc futura reſpiciunt ſolùm quatenùs ſunt in cauſa. Quod ſi hæc illatio nulla eſt, illa etiam quam appugnamus, nulla erit. Ratio autem quare neutra illatio bona ſit, ea videtur eſſe, quia ſicut determinata veritas futuri abſoluti in ratione futuri cõſiſtit in determinatione cauſæ quæ neceſſariò pro-

ducit effectum ex S. Thom. p. p. q. 14. ar. 13. & aliis locis initio cap. 2. citatis; ita etiam determinata veritas futuri conditionalis conſiſtit in vi illationis ex virtute antecedentis, & neceſſitate conſequentiæ, & quia in contingentibus, neque eſt illa determinatio cauſæ, neque hæc neceſſitas conſequentiæ ex vi antecedentis, quod in propoſitione conditionali conſtituitur; ideò contingentia determinatam veritatem non habent ſiue futuri abſoluti, ſiue conditionati. Quia tamen eatenùs aliquid participat rationem futuri, quàtenùs cauſa ipſius in vnam potiùs quàm alteram partem propendet: Et contingentia (verbi gratia actus arbitrij humani) vel ex propria, & intrinſeca conſtitutione alicuius hominis, vel ex conditionibus aut circumſtantiis extrinſecis ſortiri poſſunt cauſam, quæ penſatis omnibus in hanc potiùs quàm in oppoſitam partem inclinetur, ideo rationem aliquam futuri ſine perfecta determinatione cauſæ, & ſine illa conſequentiæ neceſſitate habere poſſunt: ſed quia huiuſmodi inclinatio cauſę coniuncta eſt cum potentia omninò proxima ad oppoſitum; ideo ſicut non reddit cauſam omnino determinatam ad agendum, ita non tribuit effectui veritatem futuri determinatam, & cognoſcibilem per eam cognitionem, cui falſum ſubeſſe non poſſit. Hinc ergo fit, vt conſultationes, coniecturæ, & deliberationes prudentium (quæ, vt probat loco cit. Auct. inutiles omnino eſſent poſita determinata veritate futurorum) probent quidem reperiri aliquam veritatem obiectiuam futuri abſoluti diſtinctam à determinatione quam habet cauſa neceſſaria, & aliquam veritatem futuri conditionati diſtinctam

à neceſſi

à neceſſitate conſequentiæ ex virtute illius antecedentis quod in propoſitione conditionali collocatur, ſed tamen non probent hanc eſſe illam veritatem, quam probare contendunt Auctores, contra quos deſputamus; imò poſitiuè probent eam non eſſe, quia cùm illi Auctores colligere velint veritatem determinatam, quæ poſſit eſſe terminus infallibilis cognitionis Dei: huiuſmodi conſultationes ac deliberationes veritatem oſtendunt obiectiuam futuri indeterminatam; quæ omnes hominum conatus & conſilia fallere poſſit.

De aliis probationibus eiuſdem ſententiæ.

EAmdem opinionem Molina p. p. q. 1. ar. 13. diſput. 14. probat ex eminentiſſima quadam ſupercomprehenſione, quam Deo tribuit reſpectu arbitrij creati: ſed probatio hæc non eſt cur hîc fuſiùs expendatur, cùm ſatis oppugnata ſit in ſuperioribus, ſi enim in arbitrio creato actus ipſius haberent determinatam rationem futuri conditionalis cognoſcibilem infallibili cognitione, non eſſet opus altiſſimo illo comprehenſionis modo, qui ſupra veram comprehenſionem quamcumque addere poteſt perfectionem ſolum entitatiuam cognitionis ratione ſubiecti cognoſcentis, non verò perfectionem in ratione imaginis, & repræſentationis ipſius obiecti, ſed ſatis eſſet quæcumque vera comprehenſio, cùm hæc ſit cognitio æqualis vndequaque ipſius obiecti cognoſcibilitati.

Mitto etiam alias probationes quæ vel ex perfectione prouidentiæ diuinæ, vel ex conciliatione libertatis creatæ cum eadem prouidentia, præde-

ſtinatione

ſtinatione & gratiæ donis colliguntur, quia cùm determinata veritas obiectiua horum futurorum contingentium cõditionatorum ex dictis videatur excluſa; huiuſmodi probationes, ac aliæ quæcumque facilè corruunt nullo impellente.

Hactenus de oppugnationibus illius ſententiæ, quæ ſcientiam contingentium ſub conditione futurorum Deo tribuit ante decretum, ſeu de probationibus oppoſitæ opinionis, quæ ſcientiam hãc ante decretum negat. Hæc omnia afferre libuit, tum quia difficultatem (vt opinor) continent explicatu dignam, & quæ (vt ingenuè fatear) iam diu ingeniolum meum ſatis ſuperque torſitum etiam, quia ex horum argumentorum ſolutione veritas (ni fallor) longè manifeſtior fiet, ſed iam opinionem oppoſitam audiamus.

CAPVT V.

Proponitur, & probatur opinio, quæ Deo tribuit ante liberum quodcumque decretum ſcientiam contingentium ſub conditione futurorum.

SEcunda ſententia eſt eorum, qui putant, contingentia abſque vlla neceſſitate conſequentiæ ex virtute antecedentis collocati in propoſitione conditionali habere poſſe veritatem obiectiuam ita determinatã, vt certa ac infallibili cognitione præſciri poſſint futura ex hypotheſi: Et de facto quàm plurima eſſe contingentia, quæ licet abſolutè nunquam futura ſint; verè tamen eſſent, ſi certæ quædã conditiones exiſterẽt. Cúmq; huiuſ

huiuſmodi obiectiuam veritatem in eo ſolùm conſtituant, vt antecedens propoſitionis conditionalis, ſeu conditiones de facto non ponantur, nec ponenda ſint ſine conſequenti, & effectu, hanc ipſam veritatem minimè arbitrantur pendere à libero vllo Dei decreto actuali, ac propterea docent, huiuſmodi contingentia ſub conditione futura prius noſtro modo intelligendi cum fundamento in re à Deo præſciri quàm actum vllum liberum habere intelligatur. Hanc ſententiam docent Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus lib. 2.de amiſſione gratiæ,cap.17. in reſponſione ad 1. Caluini.Gregor.Valen.p.p.q.14.ar.13.puncto 1.§. ſequitur 2. quæſtio. Suarez in Opuſc. toto lib.2. de ſcient.condit.futur.conting.Vaſquez p.p.q.14. at.13.diſput.66.Thomas Stapleton.in cap.11.Mat. ad illa verba ſi in Tyro, & Sidone & in cap.9.ad Roman.§.Deum altitudine, & Domin. Soto lib. 3.Hemularum cap. 8.lect.3. cuius tempore tam extra controuerſiam erat hæc opinio, vt eam inter prima Dialecticæ rudimẽta abſque vlla diſceptatione, vt quid ab omnibus facilè receptum tradiderit. Quamuis enim dum propoſitiones de futuro contingenti conditionali à ſolo Deo ſciri poſſe docet,nullam mentionem faciat decreti diuini; eo ipſo tamen quod in his propoſitionibus aſſerit veritatem eſſe non ex vi illationis, ſed ex eo ſolum quod de facto Antecedens verum non ſit ſine conſequenti,eo ipſo(inquam)cum Auctoribus huius opinionis contradicit Auctoribus prioris ſententiæ,qui non aliam veritatem propoſitionis conditionalis agnoſcunt, quàm conſequentiæ neceſſitatem, cúmque doceat in huiuſ-

modi futuris eſſe veritatem à Deo cognoſcibilem, quæ diſtincta ſit à neceſſitate illationis, apertè ſatis fatetur hanc veritatem eſſe & cognoſci ante diuinum decretum, quia ſi à diuino decreto oriretur hæc veritas, verbi gratia, in hac propoſitione, ſi Petrus conſtituatur in his circumſtantiis volet loqui, hæc, vt Auctores etiam prioris ſententiæ contendunt, conſiſteret in neceſſitate illa conſequentiæ qua effectus à Deo volitus ex ipſius voluntate, vel volitione infertur. Ideò enim verum eſſet poſitis illis conditionibus, vt Petrus vellet loqui, quia ſtatuiſſet Deus vt poſitis illis conditionibus vellet. Ac propterea locum non haberet doctrina ipſius Soti.

Dico igitur in hac ſententia continentur; Primum eſt, vt Deo inſit certiſſima, & prorſus infallibilis præſcientia contingentium ſub conditione futurorum: alterum eſt vt huiuſmodi præſcientia intelligenda ſit Deo ineſſe in inſtanti rationis antecedente quodcunque liberum decretum diuinum, de prima huius opinionis parte nulla, vt initio diximus, ſupereſt iam controuerſia cum Auctoribus phyſicæ prædeterminationis, eamque paulò ſuprà citati Auctores innumeris ferè ſacrarum literarum, & Patres teſtimoniis egregiè confirmant, ideò non eſt cur in illa immoremur. Tota igitur nonnullorum Catholicorum diſſenſio eſt in 2. huius ſententiæ parte, quatenùs, nimirum, aſſeritur Deus ante omnem liberum actum certò prænoſſe huiuſmodi futura contingentia conditionata. Ego verò hanc etiam poſtremam huius ſententiæ partem veriſſimam eſſe exiſtimo, ac propterea mihi videtur optimè probari poſſe.

Primò

Primò ex iis ſcripturæ locis,in quibus oſtenditur peccatum aliquod à Deo præuiſum tanquam futurum ſub conditione,vt 3.Reg.ij.vbi cùm Salomon accepiſſet vxores ex Gẽtibus de illis narratur dixiſſe Dominus filiis Iſraël.*Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras , certiſſimè enim auertent corda veſtra , vt ſequamini Deos earum.* & 1. Reg.23.cùm Dauid conditionati , & contingentis futuri notitiam à Deo petiiſſet his verbis. *Si tradent me viri Ceila & viros qui ſunt mecum in manus Saul.*Dixit Dominus,*Tradent*, quæ tamen proditio abſolutè non contingit , quia Dauid hoc audito repentè aufugit , ideo ſenſus illius reſponſi (teſte S.Hieronymo lib.de traditionibusHebraicis in cap.cit.Abulen.in hunc locum q.13. Gloſſ.ordinaria , & Nicolao de lira) is erat , ſi deſcenderit Saul,& hîc te inuenerit, tradent. His ergo locis cùm apertè oſtendatur diuina præſcientia quorundã contingentium ſub conditione futurorum , ea tamen dici non poteſt niti decreto diuino actuali, & conditionato ex parte obiecti:quo,ſcilicet,Deus ipſe decreuerit vt poſitis conditionibus quarum habetur mentio,contingentia illa euenirent. Neque enim volebat Deus,vt filiæ Gentilium Iudæos ſeducerent,& eorum auerterent corda, vt ſequerentur Deos earum. Neque vt viri Ceilæ Dauidem proderent : quia nullæ fingi poſſunt condiciones antecedentes,quibus poſitis Deus ex ſe velit aliquod malum culpæ,neque ſatis eſt, ſi dicatur Deus ex ſe velle actum malum ſecundùm totam ſuam entitatem,& quatenus ens eſt. Et ideò in locis allatis admitti poſſe decretum diuinum quo Deus ex ſe ſtatuerit,vt ſi filij Iudæorum acciperent

perent filias ex Gentibus,eſſet actus ſedutionis ſecũdùm totam ſuam entitatem & ſub ratione entis, & ſic de aliis.Hoc(inquam) ſatis non eſt,nam Deus non modò non vult præcisè formalem malitiam peccati;ſed neque etiam vult ex ſe,vt ſit actus ille qui eſt ſubiectum malitiæ in illis circumſtantiis, in quibus ſine libertate & conſequenti malitia exerceri non poteſt, vt ſatis conſtare videtur ex iis quæ attulimus in opuſc.ſuper cap.vlt.vbi etiam fusè oſtendimus à Deo nos phyſicè non prædeterminari ad producendam cum perfecta cognitione,& libertate illius actus entitatem,quæ liberè producta neceſſariò eſt mala moraliter:quæ tamen prædeterminatio admittenda omnino eſſet , ſi Deus ex ſe decerneret vt huiuſmodi entitas liberè produceretur. Nam phyſica prædeterminatio intrinſeca,& voluntati creatæ inhærens per euidentem conſequentiam infertur ex prædeterminatione Dei extrinſeca , ſeu decreto quod Deus habet ex ſe,ipſiſmet Aduerſariis teſtibus. Qua etiam de cauſa hic animaduertendum eſt propterea : ideò Aduerſarios velle vt veritas propoſitiuum conditionalium de futuro contingenti pendeat à diuino decreto,quia contendunt neceſſe omnino eſſe, vt quilibet actus à cauſa etiam creata quantumuis libera producendus,ſiue bonus, ſiue malus à Deo pro ſua libera voluntate abſque vllo ordine ad noſtrum conſenſum prædefiniatur , & per intrinſecam motionem phyſicè prædeterminetur. Hinc enim fit, vt ea omnia quæ ſuperiori opuſculo attulimus ad refellendam phyſicam prædeterminationem ſuum integrum robur in hac ipſa quæſtione retineant ad probandam ſcientiam diuinam con-

tingen

tingentium ſub conditione futurorum, quæ diuinum decretum non prærequirat.

Secundo loco eadem ſententia probari poteſt ex verbis illis Matt. 11. & Luc. 10. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone facta eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Per hæc animi apertè oſtenditur certò præſcita à Deo contingens, & libera Tyriorum, & Sidoniorum pœnitentia, vt futura ſub conditione. Vel ergo Deus illam pœnitentiam præſciuit, quia ex ſe decreuerat Tyriis, & Sidoniis conferre gratiam ex ſe efficacem, & phyſicè prædeterminantem, ſi apud eos fierent virtutes, quæ factæ ſunt in Ciuitatibus Corozain & Bethſaidæ, quam gratiam hominibus qui in his Ciuitatibus degebant conferre noluit. Vel eamdem pœnitentiam futuram præſciuit eo ipſo quod Tyriis, & Sidoniis virtutes illæ oſtẽderentur, quas aliæ Ciuitates viderant addita etiam illa interiori inſpiratione, & gratia qua donati ſunt viri illi Corozain & Bethſaidæ degentes, ita vt præſciuerit Deus futurum, vt Tyrij & Sidonij agerent pœnitentiam ſi in actu primo eo modo penſatis omnibus conſtituti fuiſſent, ac de facto conſtituti fuerant viri illi, quos Chriſtus Dominus alloquebatur, ſi dicatur 2. habemus quod volumus. Primum autem dici non poteſt: quia pugnare videtur cum verbis ipſius Scripturæ Matth. 11. & cum interpretatione S. Auguſtin. eum locum; Sacræ enim litteræ loc. cit. hæc habent. *Tunc cœpit exprobrare Ciuitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes eius, quia non egiſſent pœnitentiam. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida,* &c. Hæc autem

M verba

verba exigere omnino videntur vt Tyriorum, & Sidoniorum pœnitentia futura fuerit conſtitutis omnibus paribus inter ipſos, & viros illarum Ciuitatum, quibus Chriſtus Dominus dicitur cœpiſſe exprobrare; cùm enim per exprobrationem arguatur aliquis, eò quòd non faciat id quod alius faceret, nullius planè momenti eſt; ſi is qui reprehenditur careat ea faciendi facultate, aut opportunitate, quæ adeſt alteri, cuius exemplo hîc redarguitur. Id quod locum habet in propoſito propria quadam ratione. Siquidem auxilium illud Tyriis & Sidoniis conferendum, ſi apud eos factæ eſſent virtutes; quod populis Corozain, & Bethſaidæ negatum eſt; neceſſariiſſimum erat ex opinione Aduerſariorum ad pœnitentiam agendam; Ridicula autem videtur ea exprobratio, qua reprehenditur quiſpiam, quod non præſtiterit illud ad quod auxilio carebat planè neceſſariò; cùm tamen illud ipſum præſtaturus fuerit alius; ſi eodem auxilio non careret.

Adde quod fruſtrà videretur Chriſtus Dominus vim feciſſe in virtutibus, quæ oſtenſæ fuerãt illis vrbibus; illa enim per exiguum erant donum habita ratione motionis phyſicè ad Pœnitentiam prædeterminantis, & ad pœnitentiam neceſſariæ; & Tyrij & Sidonij ſi vnà cum his virtutibus phyſicam illam prædeterminationem obtinuiſſent: non ex eo pœnitentiam egiſſent quod apud eos fierent virtutes, ſed ex eo quod phyſicè ad pœnitentiam prædeterminarentur. Quamobrem viri Corozain & Bethſaidæ Chriſto Domino viderentur potuiſſe iure reſpondere: Tyrios & Sidonios nobis antecellere aſſeris tamquam magis

perpen

propenſos in virtutem pœnitentiæ quippè qui pœnitentiam in cinere, & cilicio acturi fuiſſent, ſi apud eos factæ eſſent virtutes quæ factæ ſunt in nobis, & cum hac oſtenſione virtutum phyſicam prædeterminationem ad pœnitentiam agendam recepiſſent. Hos tamen adeò prompti ſumus ad pœnitentiam peragendam, vt etiam ſi apud nos factæ non fuiſſent hæ virtutes ſemper in cinere, & cilicio acturi fuerimus pœnitentiam ſtatim atque ad eam ſolùm auxilium phyſicè prædeterminans obtineremus. Neque enim valet ſi cum aduerſariis dicas, Viros Corozain & Bethſaidæ degentes à Chriſto Domino iure increpari, quia maiora impedimenta præſtiterunt gratiæ, & magis indigni extiterunt. Hoc (inquam) non valet, quia Chriſtus Dominus non confert impedimenta gratiæ ad pœnitentiam prædeterminantis præſtita à viris, quos reprehendit cum impedimentis, quæ Tyrij & Sidonij præſtiterunt; ſed comparat pœnitentiam ſub conditione futuram Tyriorum & Sidoniorum cum excluſione libera pœnitentia in populis aliarum Vrbium, eóſque arguit non ex eo quòd peiores ſint quàm de facto fuerint Tyrij & Sidonij, ſed quia magis obfirmati ſunt in criminibus quàm Tyrij & Sidonij futuri fuiſſent, ſi apud eos factæ eſſent eædem virtutes. Huc accedit quod iuxta oppoſitam ſententiam quodcumque impedimentum, quod gratiæ dici aut fingi poſſit præſtari ortum habere videtur ab abſoluta Dei voluntate, & phyſica ipſius prædeterminatione per ea quæ ſuperiori Opuſculo cap. vltimo attulimus, vbi etiam probauimus denegatio-

nem gratiæ prædeterminantis in primo actu peccati ex nullo creato, & libero impedimento oriri poſſe. Ex quibus omnibus totum exprobrationis fundamentum in propoſito videtur euerti. Atque hæc de repugnantia, quæ videtur eſſe inter verba relata ex Matth. 11. & Aduerſariorum opinionem quatenus contendunt præſcitam fuiſſe à Deo pœnitentiam Tyriorum, & Sidoniorum ſub conditione futuram ob decretum conditionatum de conferenda illis gratia phyſicè ad pœnitentiam prædeterminante.

Iam quod attinet ad interpretationem Diui Auguſtini de bono perſeuer. cap. 14. vbi ex inſtituto explicat teſtimonium illud, ſi in Tyro, & Sidone, optimam ex eo doctrinam colligit his verbis. *Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio diuinum naturaliter. munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus, vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant.* His autem nihil videtur excogitari poſſe accommodatiùs ad eam explicationem reiiciendam illorum verborum, *Si in Tyro & Sidone*, &c. quæ noſtræ ſententiæ aduerſatur. Si enim Deus Tyriorum, & Sidoniorum pœnitentiam futuram præuidit ob decretum diuinum quo ſtatuit, gratiam illis phyſicè ad pœnitentiam prædeterminantem conferre, ſi mira illa ſigna, & prodigia apud eos facta fuiſſent. Quo pacto inde colligi poteſt, diuinum intelligentiæ munus ingenio naturaliter inditum, cùm intelligentiæ actus à quocumque ingenio idem planè ſit ex virtute diuinæ prædefinitionis, & prædeterminationis phyſicæ. Qua etiam ratione quidam in hac re ſecerni poſſunt ab aliis, cùm eadem diuina

diuina prædefinitio, & prædeterminatio phyſica in omnibus quantumlibet diuerſis cauſis liberis creatis eodem planè modo operetur. Ex his ergo conſtare videtur, præſcientiam illam conditionatam pœnitentię Tyriorum & Sidoniorum vnà cum ſimili præſcientia aliorum omnium ſub conditione futurorum, quocumque libero decreto Dei priorem eſſe; vt ducem illius; non verò poſt decretum aliquod conſequi; perinde ac ſi ab eo aliqua ratione penderet.

Tertia eiuſdem ſententiæ Probatio.

TErtiò eadem ſententia probatur ex doctrina SS.PP. Complures enim eorum Deo tribuunt conditionatam ſcientiam futurorum peccatorum; vt Auguſt. de bono perſeueran. cap. 9. *Certè*, inquiens, *poterat Deus præſciens illos eſſe lapſuros auferre de vita.* & de correctione & gratia, cap. 8. dum loquitur de illis qui aliquandiu in gratia perſeuerant, & poſtea eam amittunt. *Reſpondeant* (inquit) *cur priùs quàm peccarent non rapuit illos Deus, an quia non potuit, vel quia eorum mala non præſciuit? Nihil horum niſi peruerſiſſimè: atque inſaniſſimè dicitur.* Quibus in locis dici non poteſt ſermo eſſe de præſcientia futuri non conditionati, ſed abſoluti; eò quòd homines illi, de quibus loquitur Auguſt. abſolutè lapſuri eſſent: eadem enim res quæ eſt abſolutè futura priùs ratione fuit futura ſolùm ſub conditione, & cùm S. Aug. de illa ſcientia loquatur, per quam Deus peccata præuiſa impedire poterat auferendo alioqui lapſuros de vita; ſanè intelligi non poteſt, niſi de ſcientia conditionata: nam ſcientia peccati abſolutè futuri vſui eſſe non poteſt

ad deſtruendam veritatem ſui obiecti, & ſupponit voluntatem diuinam permittendi peccatum, quæ mutari non poteſt; eaque non mutata fieri nequit, vt peccatum non ſit: ſimillima verò iis, quæ retulimus habet non modò Auguſt. pluribus aliis in locis, ſed etiam Greg. Niſſen. lib. de his qui præmaturè arripiuntur poſt med. Cirillus Alex. lib. 3. Iulian. circa med. & alij. Huc referri poteſt quod ait Anſelmus in cap. 6. Matth. in illa verba, fiat voluntas tua, vbi docet Deum per dulcedinem conferre gratiam illi, quem ſcit non conſenſurum. Hi ergo Patres cùm apertè doceant cognoſci à Deo peccata ſub conditione futura, huiuſmodi tamen præſcientiam dici non poſſunt referre ad aliquod diuinum decretum etiam conditionatum, tum propterea quæ paulò ſuprà attulimus in primo argumento ducto ex ſacris litteris, tum etiam quia id expreſsè pugnat cum verbis Aug. in lib. 3. contra Iulianum cap. 7. vbi, *Non ideò* (inquit,) *creat*, ſcilicet Deus, *pectora in armentis & gregibus impiorum, vt Dæmonibus immolentur, quamuis hoc eos nouerit eſſe facturos.* Hîc enim ſatis apertè loquitur Auguſt. de ea Dei præſcientia, quæ eſt ante creationem pecorum, ac proinde non eſt niſi conditionata: cùm ergo idem Aug. neget ideò poni à Deo in rerum natura conditionem illam creationis ouium, vt ſequatur effectus ille ſacrilegę immolationis, apertiſſimè etiam negat decreuiſſe Deum ex ſe, vt huiuſmodi effectus eſſet poſita illa conditione, ac proinde nulla ratione vult vt præſcientia conditionata eius immolationis ab illo decreto pendeat. Conſtat igitur ex hac Patrum doctrina diuinam ſcientiam futurorum ſub conditione contingen-

tium

tium à nullo Dei decreto etiam conditionato pendere; ac proinde collocandam in Deo eſſe priùs ratione quàm vllum decretum in eo intelligatur. Quod ipſum confirmari optimè poteſt ex ſententia illorum Patrum qui docent, Deum quos ad ſe trahit, ita vocare quomodo ſcit aptum illis eſſe,& vocantem non reſpuant; & tunc vocare, quando eos ſcit obtemperaturas: apertè enim loquuntur de ſcientia, quæ decretum vocationis antecedit vt dirigens ad illud: cùm tamen effectus ille contingens in ratione futuri abſoluti; & conſequenter ſcientia ipſius poſterior ſit ipſa vocatione, à qua effectus pendent: loquuntur ergo de præſcientia rei contingentis futuræ, ſolum ſub conditione, eamque non ex eo tribuunt Deo quod certum aliquod conditionatum decretum habuerit in ordine ad has circumſtantias potiùs quàm alias, ſed ex eo quòd corda ſcrutetur, & occulta mentium proſpiciat,& homines pro ſua libertate in his, aut illis circumſtantiis obtemperaturi ſint,aut non obtemperaturi. Totam hanc doctrinam videre eſt apud S. Auguſt. lib. potiſſimùm 1. ad Simplic. q. 2. Chriſoſt. hom. 31. & hom. 65. in Matth. Hieronym. in epiſt. ad Galat. apud Auctorem Commentariorum in Paulum, quæ nomine Hieronymi circumferuntur ad Roman. 8. & alios. Quibus omnibus addi poſſunt locupletiſſima Patrum teſtimonia, quæ inter cæteros huius opinionis noſtræ auctores refert, ac optimè expendit Suar. in Opuſc. lib. 2. de ſcien. condit. futur. conting. cap. 2.

Quarta Probatio.

QVartò probatur ex ſententia S. Thomæ,tum ex argumentis ſuprà cap. 2. propoſitis, quæ contra primam ſententiam retorquentur, vt conſtabit infrà cap.7. tum ex doctrina alibi tradita: Is enim 3. par. q. 1. ar.2 in corp.& ad 1.ait, Deum diſtuliſſe Incarnationem, vt natura cognita ſua infirmitate clamaret ad Medicum, & gratiæ quæreret auxilium, atque alia huiuſmodi, & ibidem ar. 6. docet, Deum veniſſe quando ſciuit gratum futurum beneficium: ſi enim vſque ad finem mundi Incarnatio dilata eſſet futurum fuiſſe ait, vt honeſtas ac fides penitus abolerentur, & plura his ſimilia tradit alibi S. Thom. & Patres omnes paſſim. Ex his autem optimè colligitur, ſcientia diuina contingentium ſub conditione futurorum ante diuinum decretum; cùm enim aliquid Deus facit vt aliquis euentùs aut ſequatur, aut euitetur; certò ſcit, finem intentum à ſe eſſe comparandum;alioqui enim timidæ eſſent etiam cogitationes ipſius, & incertæ prouidentiæ; certò ergo ſciebat Deus ex ſententia S.Thomæ futura illa contingẽtia conditionata ante decretam Incarnationem pro eo tempore, in quo facta eſt: futurum ſcilicet, vt natura humana clamaret ad medicum,& gratię quæreret auxilium: ſi Incarnatio differretur vſque ad tempus, in quo Chriſtus de facto ad nos de Regalibus ſedibus venit: Et prætereà futurum vt omnis honeſtas ac fides abolerentur; ſi vſque ad finem mundi ipſa Incarnatio protraheretur. Hanc autem ſcientiam,vt patet ex locis cit.non refert.S.Thom. in decretum aliquod diuinum, ſed in propriam

conditionem, propenſionem, atque imbecillitatem naturæ humanæ: ideò intelligendus eſt, illam ante quodcumque decretum conſtituere.

Sed ad hoc ipſum probandum clariùs: expendendum eſt præterea egregium aliud S. Thomæ teſtimonium, quo ſuam in propoſito, ac S. Aug. ſententiam manifeſtè declarat. Is igitur 3. par. q. 1. ar. 5. Cùm quæſtionem propoſuiſſet; An conuenientius futurum fuiſſet, vt Chriſtus incarnaretur ab initio mundi, & pro parte affirmatiua argumentum 2. loco attuliſſet ex eo, quod plures lumine fidei adiuti veritatem cognouiſſent; ac ſalutem adepti eſſent. In reſponſione ad 2. affert ad hoc argumentum diſſoluendum doctrinam S. Auguſt. in lib. de ſex quæſtionibus Paganorum, vbi ait, ideò poſt tam longa tempora Chriſtum Dominum incarnatum fuiſſe, quia his temporibus & locis, quibus Euangelium eius non eſt prædicatum, tales omnes in eius prædicatione futuros eſſe præſciebat; quales multi in eius corporali præſentia fuerunt, qui in eũ, ne ſuſcitatis quidẽ ab eo mortuis credere voluerint. Poſtea verò hanc ſolutionẽ reiicit S. Th. verbis eiuſdẽ S. Aug. de bono perſeuerantiæ, c. 10. aientis. *Numquid poſſumus dicere etiam Tyrios, & Sidonios talibus apud ſe virtutibus factis credere noluiſſe, aut credituros non fuiſſe ſi fierent, cum eis ipſe Dominus atteſtetur quòd acturi eſſent magnæ humilitatis pœnitentiam, ſi in eis facta eſſent diuinarum illa ſigna virtutum?* Hinc tandem, vt argumentum propoſitum ſoluat, hæc addit. *Proinde, vt ipſemet ſoluens ſubdit, ſicut Apoſtolus ait, Non vt volentis, neque currentis: ſed miſerentis Dei, qui his quos præuidit, ſi apud eos facta eſſent, ſuis miraculis credituros, quibuſdam ſubuenit, quibuſdam non*

ſubuenit, de quibus aliud occultè quidem, ſed iuſtè in ſua prædeterminatione indicauit. Hæc S. Thom. ex quibus in ipſius, ac S. Auguſt. ſententia clariſſimè oſtenditur ſcientia diuina contingentis ſub conditione futuri, hoc eſt fidei quam permulti haberent, ſi apud eos fierent miracula, quę fides habita ratione eorum, quibus Deus noluit ſubuenire per oſtẽſionem miraculorum: Eſt præterea ex iis contingentibus ſub conditione futuris, quæ numquam abſolutè erunt. Quod igitur huiuſmodi ſcientia ab his Patribus Deo tribuatur ante quodcumque ipſius decretum, quippe quæ à nullo decreto pendeat; Patet primò, quia S.S. Aug. & Thom. falſam putant doctrinam illam traditam in lib. de ſex quæſtionibus Paganorum, vt ante aduentum Chriſti omnes homines tales futuri eſſent, quales aliqui fuerunt in corporali eius præſentia, qui viſis quibuſcumque miraculis credere noluerunt. Falſum, inquam, id putant ob diuinam reuelationem de Tyriis & Sidoniis, qui talis futuri non erant, cùm viſis miraculis fuerint credituri. At ſi hi credituri fuiſſent viſis miraculis, quia ſi miracula vidiſſent, Deus ex ſe decreuerat phyſicè illos prædeterminare ad credendum: inter Tyrios, ac Sidonios, & alios quoſcumque nullum planè fuiſſet diſcrimen, quia alij etiam quicumque viſis miraculis, & habita præterea phyſica prædeterminatione ad credendum fuiſſent credituri, & ideo tales omnino fateri fuiſſent Tyrij, & Sidonij, quales alij quicumque. Non ergo ſubintelligendum eſt decretum illud conditionatum circa Tyrios, & Sidonios, cùm præſertim inter propoſitionem affirmatiuam & negatiuam diſcrimen tantummodò eſſe debeat propter affirmatio

mationem, & negationem, non ob variationem aliorum; quod ſatis oſtendit Tyrios & Sidonios, cùm dicuntur viſis miraculis fuiſſe credituri, intelligendos eſſe prædictos æqualibus auxiliis cum iis, qui, viſis eiſdem miraculis, dicuntur non fuiſſe credituri.

Secundò, quod iidem Patres ſcientiam illam conditionatam noluerint ab aliquo diuino decreto pendere probatur, quia S.S. Thom. & Auguſt. inde confirmant pronunciatum illud Apoſtoli. Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei, quia licèt aliquos credituros præſciuerit ea conditione, vt apud eos fiant miracula, hæc tamen aliis oſtendit, aliis non oſtendit, ac proinde parum refert promptitudo illa futura voluntatis humanę, niſi Deus per oſtenſionem miraculorum velit ſubuenire. Si autem Deus ideò aliquos credituros præuidiſſet ſub conditione miraculorum, quia ſub eadem conditione ipſe phyſicè prædeterminaturus erat, eos ad credendum: ratio quare non eſſet volentis, neque currentis, non ea eſſet, quia Deus oſtendit miracula, quibus vult ex iis, qui, viſis miraculis, credituri eſſent, ſed quia ideo hi, ſi apud eos fierēt miracula credituri eſſent, & præuiſi ſunt, credituri, & non alij: quia his & non aliis, ſi miracula oſtenderentur, daturus eſſet Deus pro ſuo arbitratu phyſicam prædeterminationem ad credendum. Atque hæc ſola eſſet prima, perfecta, & adæquata ratio, quare non eſſet volentis, aut currentis, ſed miſerentis, vel potiùs phyſicè prædeterminantis Dei? Nulla enim eſſet vis in eo quod hi, & non alij eſſent credituri, ſi viderent miracula, nam hoc diſcrimen eſſet ſolùm ex præfinitione &

præde

prædeterminatione diuina, quicumque enim æquè atque alij credituri eſſent ſi cum oſtenſione miraculorum habituri etiam eſſent phyſicam prædeterminationē ad credendum. At per hæc videtur ex horum Patrum ſententia excludi decretum illud conditionatum circa Tyrios, & Sidonios, cui conditionata illa reuelatio futuræ ipſorum pœnitentiæ nitatur.

Subduntur rationes Theologicæ ad eandem ſententiam confirmandam.

QVintò, eadem ſententia probatur ratione. Nam decretum illud conditionatum circa omnia contingentia, quæ Deus præſcit ſub conditione futura, nulla ratione videtur admittendum, tum quia inauditum ſemper fuit, & ſecundùm nomen, & ſecundùm rem ipſam inter ſcholaſticos ante exortam hanc controuerſiam, tum verò, quia ſi Deus oblatis ſibi per intellectum omnibus hominibus, decreuit quoſdam phyſicè prædeterminare ad credendum, ſi apud eos fierent miracula, alios verò non prædeterminare etiam ſi miracula viderent. Vel conditionatum hoc decretum ordine rationis cum fundamento in re fuit in re prius decreto abſoluto de perducendis ad fidem aliquibus ex iis, circa quos verſatur illud conditionatum decretum, & de permittenda infidelitate aliorum; vel fuit poſterius, vel omnino ſimul. Non poteſt dici fuiſſe vel poſterius, vel ſimul; quia vt conſtat ex verbis paulò ſuprà relatis SS. Auguſtini & Thomæ, præſcientia conditionata, vt aliqui ſint crediturì antecedit decretum abſolutum illis ſubueniendi,

ueniendi per oſtenſionem miraculorum, hoc eſt, decretum abſolutum eos ad fidem perducendi, vel deſerendi in infidelitate: ſi autem huiuſmodi ſcientia antecedit, opus omnino eſt, vt eadem abſoluto decreto prius ſit decretum illud conditionatum quod illa ſcientia præ requirit vt conſtitutiuum ſui obiecti. Non ergo erit ſimul cum decreto abſoluto, vel poſterius: ſed tantummodò poterit (ſi datur) eſſe prius. Quod autem nec poſſit eſſe prius pròbatur, quia ordo rationis qui inter actus diuinos conſtituitur à Theologis non eſt ordo quidam pro arbitratu confictus, ſed pendet ex noſtro modo intelligendi cum fundamento in re, ita vt ſit ordo quidam naturæ virtualis, vt quemadmodum quod naturæ poſterius eſt, verè pendet ab eo quod eſt prius ex Ariſt. in Poſtprædicam. cap. de Priore, ita quod ordine naturę ſolũ virtuali poſterius eſt, virtualiter etiam pẽdeat, quia ex ſe tale eſt vt poſtulet cõcipi poſt aliud à quo verè pẽderet, ſi ab vllo verè pendere poſſet. His ergo ita cõſtitutis, vt decretũ illud conditionatũ prius ſit decreto abſoluto de aliquibus ad fidem perducendis, opus eſt vt hoc decretum abſolutum virtualiter pendeat ab illo, & illud præ requirat, hoc autem maximam videtur conſtituere imperfectionem in Deo, quia nulla ratio poteſt afferri cur decretum abſolutum exigat ante ſe ipſum aliud decretum conditionatum, niſi ex eo quod Deus antequam aliquid abſolutè ac firmiter ſtatuat, deliberare quodammodò debeat, atque animi pendere, & more noſtro actus illos indeliberatos præmittere, ſi hoc facerem, expediret facere illud, & vellem illud ipſum executioni demandare, etſi hunc re-

rum

rum ordinem conſtituerem, hæc aut illa eidem annectere vellem: quaſi verò per hos tandem actus gradum facere debeat ad abſolutum decretum. Quod ſanè nullus (ni fallor) audebit aſſerere, cùm infinita perfectio voluntatis diuinæ poſtulet, & ſicut certiſſimam, aut immutabile iudicium diuini intellectus nullos alios imperfectiores actus admittit, quos exigat vlla ratione vt priores ſe, ita nec firmum, abſolutum, & perpetuò conſtans decretum illos alios eiuſdem voluntatis indeliberatos actus prærequirat.

Sextò, eadem opinio probatur, quia ex S. Tho. 3. p. quæſt. 1. ar. 2. veriſſima eſt hæc conditionalis contingens ſi Adam non peccaſſet, Filius Dei incarnatus non fuiſſet, & conſequenter vera eſt etiam hæc, ſi Adam non peccaſſet: non habuiſſet Deus liberum illud, & abſolutum decretum de Incarnatione verbi, quod habuit de facto; & ab æterno vtraque propoſitio fuit vera, vt concepta ſub terminis de futuro: Harum autem propoſitionum veritas non pendet ab aliquo Dei decreto conditionato, ſed quocumque diuino decreto eſt prior: Ergo ſcientia contingentium ſub conditione futurorum in Deo eſt ante decretum. Aſſumptum probatur, quia ſi hæc ſcientia pendet ab aliquo decreto conditionato, vel hoc antecedit decretum illud abſolutum, quo Deus de facto decreuit Incarnationem propter peccatum præuiſum (vt Aduerſarij putant) abſolutè futurum: vel ſimul eſt cum illo, vel denique eſt poſt illud. Quod decretum huiuſmodi conditionatum non fuerit priùs abſoluto decreto Incarnationis expreſsè videtur nonnulli concedere dum aiunt. *Illud futurum conditionatum,*

ſi Adam

ſi Adam non peccaſſet, filius Dei incarnatus non fuiſſet, eſt verum, & cognitum à Deo in decreto ſuæ diuinæ voluntatis, quo ſtatuit incarnari ſuppoſito peccato primi Parentis, & non aliàs. His enim verbis apertè oſtendunt decretum conditionatum ex ſua ſententia vel fuiſſe aliquo modo idem cum decreto Incarnationis, vel certè fuiſſe omninò ſimul cum illo: ſed prætereà quod hoc decretum conditionatum non fuerit prius abſoluto decreto Incarnationis: Probatur, quia decretum, quo Deus ſtatuitcreare Adamum, attingere debuit omnes circumſtantias reationis, & ea omnia, quæ ad huius creationis finem pertinebant, & ideò decretum de Adamo creando, déque eo creando in tali ordine rerum, talibus circumſtantiis, & cum talibus auxiliis vnicum fuit, & ſecundùm rem, & ſecundùm rationem. Si ergo decretum conditionatum à quo dicitur habuiſſe veritatem illa conditionalis: ſi Ada m non peccaſſet, Chriſtus incarnatus non fuiſſet, fuit prius abſoluto decreto Incarnationis, vel interceſſit inter hoc ipſum decretum Incarnationis, ac inter decretum creationis eiuſdem Adami: vel fuit prius ip ſo etiam decreto creationis. Non primum, quia vt patet ex opuſculo ſuperiori cap.} vlt. in ipſomet decreto, quo Deus ſtatuit creare Adamum in tali ordine rerum cum motione phyſicè prædeterminante ad entitatem volitionis, qua Adam liberè voluit vetito pomo veſci. In huiuſmodi (inquam) decreto vidit Deus præuaricationem Adami abſolutè futuram, ac proinde non potuit voluntatem conditionatam habere hoc aut illud faciendi, aut nõ faciendi, ſi Adã non peccaſſet, poſt vitam huiuſmodi conditione ſatis ſuperque purificatam.

tam. Neque dici poteſt ſecundum, vt,ſcilicet,decretum illud conditionatum fuerit prius ipſo etiam decreto de Adamo creando: Nam ante hoc decretum Adam erat ens poſſibile, ideò ſi circa illum pro tali ſigno rationis admittatur illud decretum conditionatum: ſimilia etiam decreta conditionata admittenda erunt circa alia omnia poſſibilia, quæ ſanè ſuperuacanea ſunt, circa ea præſertim poſſibilia, quæ de facto nunquam erunt: neque videntur vllatenùs decere infinitam perfectionem diuinæ voluntatis. Relinquitur ergo vt decretum conditionatum circa Incarnationem non fuerit prius abſoluto eiuſdem Incarnationis decreto.

Rurſus quod hæc duo decreta nec potuerint eſſe aliquo modo vnum; nec ſimul: Probatur, quia ex ſententia Aduerſariorum decretum abſolutum Incarnationis fuit poſt præuiſum Adæ peccatum abſolutè futurum: ſi ergo decretum conditionatum fuit ſimul ratione cum hoc decreto abſoluto, decretum etiam conditionatum fuit poſt illam præuiſionem peccati abſolutè futuri: hoc autem eſt impoſſibile, nam poſtquam Deus ſciuit conditionem purificatam, hoc eſt peccatum abſolutè eſſe futurum non potuit habere voluntatem conditionatam per ordinem ad hanc conditionem: ſi, nimirum, peccatum non eſſet. Ideò in eo inſtanti rationis poſt illam præuiſionem ſolùm habere potuit decretum abſolutum Incarnationis limitatum ad hunc finem redemptionis humanæ, ita vt ob hanc ſolùm eam vellet: & cum huiuſmodi actu potuit etiam habere velleitatẽ quodammodò, ſeu volitionem conditionatam tunc exiſtentem, quæ ferre

ferretur in negationem Incarnationis per ſe conſideratæ, & ſeiunctæ ab ea occaſione redimendi genus humanum:qua ſimili ratione,qui abſolutè vult proiicere merces in mare, vt facilius ferre poſſit tempeſtatem, nollet alioqui proiectionem illam. Hic tamen actus conditionatus voluntatis diuinæ,ſeu voluntas ſecundùm quid non eſt decretum illud conditionatum,quod tribuere poſſit infallibilem veritatem huic conditionali (ſi Adam non peccabit,Filius Dei non incarnabitur) quia talis voluntas ſecundùm quid habet potiùs rationem cuiuſdam conuerſionis ab obiecto præſenti,quod hîc & nunc propter certas conditiones ſimpliciter eligitur, quàm propoſiti etiam conditionati circa obiectum,vt futurum.Et præterea, quia Deus habens abſolutam voluntatem Incarnationis propter præuiſum peccatum; ſi ſimul habuit (vt dicitur) voluntatem illam ſecundùm quid, qua ferretur in negationem eiuſdem Incarnationis ſecundùm ſe conſideratæ; eam ſanè nonniſi liberè habuit; ac proinde non ſolùm potuiſſet illam de facto non habere ſimul cum decreto Incarnationis in remedium peccati; ſed etiamſi non præuidiſſet peccatum abſolutè futurum, nec voluiſſet Incarnationem in remedium ipſius; potuiſſet tamen liberè carere omni actu amplectente, quodammodò negationem Incarnationis,& liberè velle ipſam Incarnationem,tãquam ſecundùm ſe bonam, & eligibilem. Quod ſatis confirmari poteſt ex eo quod hic homo, qui hîc & nunc ad mortis periculum euitandum,voluntariè ſimpliciter, & inuoluntariè ſecundùm quid proiicit merces in mare; hic ipſe homo(in-

quam) hoc eodem tempore, ſi omne periculum abeſſet; liberè poſſet ob alium finem, vt ob inanem aliquam gloriam &c, eaſdem merces proiicere: neque hic actus dici poteſt omnino certò futurus non fuiſſe, ſi abfuiſſet periculum; propter illum actum nolleitatis, quem de facto ponitur habere hic idem homo dum periculum imminet: nam hæc nolleitas verſatur ſolum circa hoc obiectum præſens, vt eſt ſub hac præſenti conditione periculi: & ideò ſi periculum non eſſet; neque eſſet hæc ipſa nolleitas: ſed voluntas pro ſua libertate indifferens eſſet ad eandem proiectionem mercium ob alium finem volendam & nolendam; quia actus qui de facto ſunt imminente periculo, inepti ſunt ad tribuendam determinationem ad aliquid faciendum, ſi periculum abſit: in quo euentu ipſi non eſſent. Ergo multò minùs in Deo ex nolleitate illa Incarnationis, quàm dicatur de facto habuiſſe ſimul cum abſoluta voluntate eiuſdem, certum eſſe poterit futurum fuiſſe vt Incarnationem non vellet; ſi peccatum abfuiſſet; cùm præſertim Incarnatio ſecundùm ſe non ſit malum quoddam reſpectu Dei, quemadmodum iactura mercium ſecundùm ſe malum quoddam eſt reſpectu hominum.

Relinquitur ergo, vt conditionatum illud decretum tribuens infallibilem veritatem propoſitioni conditionali de futuro contingenti; quod inuehit prima ſententia, non fuerit ſimul cum abſoluto Dei decreto, quo voluit Incarnationem in remedium peccati Adæ.

Ex his multò magis euidens videtur illud ipsũ decretum conditionatum non fuiſſe ordine rationis

tionis poſterius abſoluto decreto Incarnationis: ea enim, quæ hactenus attulimus; ad hoc probandum maiores quodammodò vires acquirunt.

Cùm ergo propoſitio illa cōditionalis, ſi Adam non peccaſſet, Filius Dei incarnatus non fuiſſet: vel, ſi Adam non peccabit, Filius Dei non incarnabitur: certam veritatem ab æterno habere non potuerit ex vi decreti diuini conditionati, quòd fuerit ante decretum abſolutum Incarnationis, aut ſimul cum illo; vel aliquo modo idem; aut poſt illud: reliquum ſanè eſt vt certam veritatem habuerit à nullo diuino decreto actuali etiam conditionato manantem; ac proinde vt ſcientia ipſius & aliarum ſimilium propoſitionum conditionalium in Deo fuerit quocumque decreto prior.

Probationes aliæ huius ſententiæ ex nonnullis teſtimoniis Scholaſticorum : ex perfectiòne diuinæ Prouidentiæ, atque aliis huiuſmodi legi poſſunt apud Auctores quos pro hac opinione ſuprà retulimus; & præſertim apud Suarez lib. 2. de ſcient. condit. fut. conting. Nos enim iis, quæ hactenus allata ſunt; eam tantùm rationem addere ſtatuimus, quam vbi attigerimus, explicabimus fuſiùs, & vndequaque confirmare conabimur.

Septimo igitur loco noſtra opinio probatur, quia exploratiſſimum eſt; ſi contingentia certam veritatem habent obiectiuam futuri conditionalis ante diuinum decretum; ea ſub illa ratione futuri conditionalis à Deo ante decretum certò præſciri: nam intelligibilitas, quæ eſt paſſio illius veritatis, vel potiſſimum, vel ſolum referri debet

N 2 ad

ad infinitam intelligendi vim,quæ eſt in intelle-ctu diuino,qui tamquam potentia neceſſaria ſta-tim percipit quicquid in re aptum eſt vt per-cipiatur: ſed contingentia certam illam verita-tem habent ante omne decretum diuinum, ita vt pro eo ſigno rationis non minùs ſint con-ditionaliter futura; quàm ſint abſolutè futura poſt decretum;Ergo verè Deus certiſſimam ha-bet præſcientiam contingentium ſub conditione futurorum priorem ordine rationis cum fun-damento in re quocumque ſuo actuali decreto etiam conditionato.

CAPVT VI.

Veritas obiectiua rei contingentis ſub conditione futuræ explicatur: ac probatur ex veritate futurorum contingentium abſo-lutorum.

VT in hac re à noſtris ſenſibus remotiſſima ex notionibus nobis philoſophemur anim-aduertendum eſt, quid nobis ex fide ac Theo-logia conſtet de obiectiua veritate futurorum contingentium abſolûtorum,déque eorum diui-na præſcientia: Nam ſi ex iis,quæ de huiuſmodi futuris certa eſſe debent apud omnes, probare poſſimus omnino inferri eam veritatem contin-gentium ſub conditione futurorum, quæ poſſit eſſe terminus infallibilis cognitionis Dei ante quodcumque ipſius decretum: ita vt ſententia,

quæ

quæ huiuſmodi cognitionem Deo tribuit pro illo ſigno rationis, nullam propriam difficultatem habeat, quæ ab omnibus ſoluenda non ſit ad tuendam ſcientiam futurorum contingentium abſolutorum; optimam (vt opinor) videbimur iuiſſe viam ad hanc quæſtionem enodandam: in qua non id nobis fruſtrà contendendum eſt, vt difficultatem omnem, atque obſcuritatem remoueamus: cùm enim concluſionibus omnibus Theologicis id commune ſit, vt in eas deriuetur obſcuritas principiorum fidei, à quibus deducuntur: ſcientia tamen diuina futurorum contingentium etiam abſolutorum tantam habet obſcuritatem ſibi propriam; vt quamuis à Catholicis omnibus aſſeratur; Scholaſtici tamen paſſim clament in hac vita percipi non poſſe quo pacto Deus hæc futura certò, atque infallibiliter præſciat. Hîc ergo dum tractamus quæſtionem ſolùm, An ſit huiuſmodi præſcientia diuina ante decretum; ſatis erit nobis, ſi oſtendamus contingentia tam determinatam, ac certam veritatem habere ante decretum diuinum, quatenùs dicuntur ſub conditione futura; quam certam eam habent poſt decretum, quatenus dicuntur futura abſoluta: hoc enim ipſo conſtabit euidenter, ſcientiam hanc conditionatam Deo ineſſe ante decretum; quamuis modum ipſius vtpote noſtris ſenſibus nullo modo ſubiectum diſtincta percipere nequeamus.

Vt ergo rem totam altiùs repetamus, accuratiùs inquirendum eſt quid, & quotuplex ſit ratio futuri in vniuerſum; & quot modis concipi poſſit res quamdiù eſt abſolutè futura: Ex his

enim facilius explicabimus ea, quæ de obiectiua contingentium abſolutè futurorum veritate, atque eorum præſcientia omnes fateri debent.

Primum igitur illud extra omnem controuerſiam eſſe debet; veram rationem futuri contradiſtinctam à ratione præſentis, & præteriti non ineſſe rei niſi quatenus eſt in cauſa: futurum enim eſſe id omnes intelligunt, quod nondum productum eſt; ſed habet cauſam, quæ ipſum productura ſit, quæque illud intra ſe, atque in ſua virtute ita contineat, vt illud poſteà extra ſe ipſam conſtituere debeat. Atque hæc eſt apertiſſima, & optima doctrina S. Thom. 1. Periherm. c. vlt. lect. 13. in fi. p. p. quæſt 14. ar. 13. quæſt. 2. de verit. ar. 12. & aliis locis ſuprà initio cap. 2. citatis. Quam doctrinam non modò approbant Thomiſtæ omnes ibidem relati; ſed neque vllus videtur eſſe, qui aut diſſentiat, aut cum aliqua probabilitatis ſpecie diſſentire poſſit. Hinc tamen non licet inferre, hoc ipſo præcisè rem eſſe futuram, quod ſit in cauſa; ita vt eſſe futurum idem omnino ſit quod eſſe in cauſa abſtrahendo ab omni alio. Ex eo enim præcisè quod res ſit in cauſa, ſeu in virtute, & potentia illius, ſolum habet rationem poſſibilis, quæ diſtincta eſt à ratione futuri. Quare ad rationem futuri certus quidam modus requiritur quo res ſit in cauſa; ita vt eſſe futurum non ſit eſſe in cauſa quomodocumque, ſed certo quodam modo. Quem modum explicauit egregiè S. Tho. 1. Periher. cap. vlt. lect. 13. propè finem his verbis. *Cum autem aliquid eſt in præſenti habet eſſe in ſe ipſo, & ideò verè poteſt dici de eo quod eſt: ſed quamdiù aliquid*

quid eſt futurum nondum eſt in ſe ipſo; eſt autem aliqualiter in ſua cauſa. Quod quidem contingit tripliciter vno modo vt ſic ſit in ſua cauſa, vt ex neceſsitate ex ea proueniat; & tunc determinatè habet eſſe in ſuâ cauſa: vnde determinatè poteſt dici de eo quod erit. Alio modo aliquid eſt in ſua cauſa, vt quæ habet inclinationem ad ſuum effectum, quæ tamen impediri poteſt: vnde hoc determinatum eſt in ſua cauſa, ſed mutabiliter: & de hoc verè dici poteſt: hoc erit: ſed non per omnimodam certitudinem. Tertiò aliquid eſt in ſua cauſa purè in potentia, quæ etiam non magis eſt determinata ad vnum, quàm ad aliud: vnde relinquitur, quod nullo modo poteſt de aliquo eorum determinatè dici, quod ſit futurum. Eadem ferè habet S. Tho. quæſt. 16. de malo art. 7. in 1. diſt. 38. quæſt. 1. ar. 5. & alibi. Ex quibus colligitur 1. ad rationem futuri in vniuerſum acceptam non requiri perfectam determinationem cauſæ ad producendum effectum; ſed ſatis eſſe ſub diſiunctione vel huiuſmodi determinationem: vel certè propenſionem in vnam partem potiùs quàm in aliam.

Quid formaliter ſit ratio futuri.

Colligitur ſecundò in quo conſiſtat formalis ratio futuri, cùm enim in ipſius conceptu duo includantur: nimirum determinatio perfecta, aut imperfecta cauſæ; & eſſe actuale ipſius effectus in ratione termini reſpectu illius determinationis, & propenſionis: Certum videtur 1. huiuſmodi determinationem ſiue perfectam, ſiue imperfectam non pertinere ad formalem rationem futuri quatenùs afficit cauſam ipſam, eámque denominat

perfectè denominatā aut propēſam ad agendum: ſed quatenus afficit, & denominat ipſum effectū habentem in cauſa tale, aut tale eſſe: agimus enim de ratione formali, quæ conueniat effectui, non verò de ea, quæ tribuenda ſit ipſi cauſæ.

Secundò certum videtur, formalem futuri rationē nō conſiſtere in ſolo eſſe actuali ipſius effectus in tempore poſteriori: hoc enim eſt formaliter eſſe præſens, & extra cauſas: quod tantùm abeſt, vt ſit eſſentia futuri, quatenus futurum eſt; vt potiùs ſit aliquid oppoſitum ratione cuius deſinat ratio futuri, vt docet Capreol. in 1. diſt. 38. quæſt. 1. ar. 2. Ad argumenta 1. loco ab Aureol. contra ſeptimā concluſionem inducta in reſponſ. ad 1. Qua de cauſa S. Thom. p. p. quæſt. 14. ar. 13. & aliis locis initio cap. 2. citatis ex eo negat à Deo cognoſci futura contingentia, quatenùs futura ſunt; quia ab eo certò cognoſcuntur ab æterno ſolùm, quatenus habent eſſe extra cauſas in certa differentia temporis: Et verbis paulò ſuprà relatis ex 1. Periher. lect. 13. docet nullo modo eſſe futurum quod in ſua cauſa eſt purè in potentia, cùm tamen hoc etiam ſæpè acquirat eſſe actuale.

Tertiò, certum videtur, rationem formalem futuri ſitam non eſſe in ſolo illo eſſe quod habet res in cauſa: ſiue hæc ſit omnino determinata ad vnū: ſiue magis ad vnum quàm ad oppoſitum propenſa: ſi enim in hoc eſſe tantummodò conſtitueretur ratio futuri; contingentia quæcumque futura, non coniecturaliter tantùm, & cum formidine erroris (vt præter quotidianam experientiam docet S. Tho. p. p. quæſt. 14. ar. 13. & alibi paſſim) ſed certò ac euidenter à nobis cognoſcerentur; cùm facillimè,

mè, ac euidentiſſimè intelligamus quàm plurimas res contingentes habere illud eſſe in cauſa; ratione cuius non ſint omninò ad vtrumlibet, ſed magis ad vnum, quàm ad oppoſitum. Et ſanè ſi ad rationem futuri non pertineret etiam euentus rei, ratio futuri non ſatis diſtingueretur à ratione præſentis; eſſet enim formaliter præſens quoddam eſſe effectus in cauſa; quod ex præſenti cauſæ conſtitutione oriretur. Quare non eſſet cur dicerentur procul videre, qui futurum aliquod prænunciant: neque videretur illud fuiſſe iure prolatum; *Annunciate nobis futura, & dicemus quod Dij eſtis vos.*

Formalis ergo ratio futuri vtrumque rei eſſe, tanquam vtriuſque quodammodo nexus includit: & eſſe, nimirum, quod res habet in cauſa, & eſſe præterea, quod ab illo eſſe in cauſa reſpicitur tanquam terminus. Neque breuiùs, aut clariùs mihi videtur explicari poſſe: Quid ſit formaliter aliquam rem eſſe futuram; quàm illis verbis quibus Italicè vti ſolemus: hoc eſt, *E per eſſere.* Verè enim catenus res eſt futura, quatenùs ita de facto eſt in ſua cauſa, vt illud eſſe quod habet in cauſa tale ſit, quale requiritur, vt res habeat in tempore poſteriori eſſe actuale extra illam: ita vt ſolus decurſus temporis expectandus ſit, vt ex illo eſſe in cauſa ſequatur eſſe actuale. Quamobrem formalis ratio futuri eſt ratio ita eſſendi in cauſa, vt ex vi illius eſſe in tempore poſteriori ſequatur eſſe actualis exiſtentiæ: cuiuſmodi ratio conuenire poteſt effectui ex perfecta determinatione cauſæ: quo pacto res eſt neceſſariò futura, & certò cognoſcibilis, quatenus futura eſt: & præterea ex mutabili ſolùm diſpoſitione cauſæ, ac maiori propenſione illius ad

vnum quàm ad oppoſitum: qua ſolùm ratione futura ſint, quæcumque contingentia ſunt. Hinc autem oriuntur aſſenſus cum formidine coniecturæ, & conſultationes circa hæc futura: quia licèt nota nobis ſit præſens affectio cauſæ, & ſatis intelligamus quodnam eſſe in illa habeat affectus; ambigimus tamen an hoc ipſum eſſe ſit ſatis, vt ex vi ipſius ſequatur euentus in tempore, in quo res dicitur futura: & quia proportionem hanc, & connexionem intereſſe rei contingentis in cauſa, & eſſe eiuſdem actuale in tempore poſteriori, ante ipſam productionem actualem ſemper impedire poteſt aut contingens externarum rerum mutatio, aut innata cauſæ libertas: ideò quamuis veriſimilius ac veriſimilius in infinitum ſciri poſſit res contingens eſſe futura; numquam tamen ad ſuperiorem gradum perfectę certitudinis peruenire poteſt: ſicut nec peruenire poteſt ad perfectam cauſæ determinationem: qua etiam de cauſa iure optimo Ariſt.1.Periher.cap.vlt.dixit propoſitiones de futuro contingenti ſingulares contraria ſuſcipere, ſicut & res, hoc eſt aptas eſſe vt ſint veræ vel falſæ: ſicut eſſe illud quod res contingens habet in cauſa (quacumque propenſione poſita) aptum eſt, vt ex eo ſequatur, & non ſequatur eſſe actuale ipſius.

Hinc etiam patet quo pacto intelligenda ſit communis illa omnium opinio ſecundùm quam viſo rei contingentis euentu dicere conſueuimus verum prædixiſſe eum qui rem illam futuram prænunciauit. Non enim ſenſus eſt, vt prædictio illa ſtatim, atque prolata eſt, certæ, ac inuariabilis fuerit veritatis: ſed ſenſus eſt propoſitionem illã, quæ toto tempore anteacto apta fuit, vt eſſet vera,

ra, ac falſa; ex ipſo rei euentu accepiſſe conſtantem veritatem, non quidem pro tempore ipſius euentus, ita vt cùm res actu eſt, ſit verum dicere, erit; ſed pro tempore antecedente euentum; ita vt propoſitio quæ pro illo priori tempore euentum enunciabat ſub ratione futuri non antea caruerit, potentia ſuſceptiua falſitatis, quam res actu euenerit; cùm enim enunciaret nexum quendam intereſſe rei in cauſa, & eſſe eiuſdem actuale pro tempore poſteriori, quaſi res in cauſa illud haberet eſſe, per quod certo tempore pergeret quodammodo ad eſſe actuale, ac tandem ad illud perduceretur: quamdiu potuit hic tranſitus impediri, tamdiu propoſitio potuit non eſſe conformis obiecto, & eſſe falſa, quia nexus intereſſe rei in cauſa, & eſſe actuale potuit non eſſe talis qualis enunciabatur, hoc eſt, talis, vt eſſe actuale verè ſequeretur, in re, & prout facilior, aut difficilior erat ille tranſitus; eadem etiam ratione probabilior erat, minúſve probabilis, ac veriſimilis enunciatio. Vbi verò abſolutus eſt tranſitus, & res ad eſſe actuale peruenit, cœpit eſſe in re immutabiliter totum id quod enunciabatur; ac proptereà ob conformitatem inuariabilem cum obiecto cœpit propoſitio eſſe ita vera; vt non haberet ampliùs potentiam ſuſceptiuam falſitatis: ex his denique conſtat quid ſibi velit S. Thom. 1. Periher. cap. vlt. lect. 13. poſt medium, cùm ait, *De eo quod eſt magis determinatum ad vnam partem poſſumus determinatè verum dicere, quod hoc erit, vel non erit: ſicut Medicus de conualeſcente verè dicit; iſte ſanabitur, licet fortè ex aliquo accidente eius ſanitas impediatur.* Hoc enim loco, & aliis vbi ſimilia tradit,

dit,loquitur de futuro non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid,hoc eſt,de eo quod futurum eſt ſpectata præſenti cauſarum diſpoſitione, ſecundùm quam res habet illud eſſe in cauſa,quod,nullo alio ſuperueniente vel extrinſecus,vel ex innata cauſę libertate: nexum aliquem habeat cum eſſe actuali: In quo diſtingitur huiuſmodi futurum à futuro ſimpliciter,quod ex communi omnium hominum ſenſu illud tantum eſt, quod penſatis omnibus quæ adſunt,& quæ ſuperuenire poſſunt, futurum eſt,ita vt actuali euentu verè non careat: Cumque S.Th. hac ipſa lect. 13.prope finem,& alibi paſſim, vt ſuprà retulimus, dicat, contingentia, quæ ad vnam partem magis ſe habent quàm ad aliam,non poſſe certò cognoſci, ſatis apertè docet, propoſitionem de ipſis,vtpote incertam,& falſitatis capacem non eſſe ſimpliciter veram, nec propterea obiectum ipſius eſſe ſimpliciter futurum: ſed tollitur præterea omnis difficultatis ſpecies, quia diſtinctionem à nobis allatam affert quaſi in terminis ipſemet S.Tho. de verit. quæſt. 12.ar.10.ad 7.dum ait, *Aliquid poteſt dici eſſe futurum non ſolùm ex hoc quod ita erit,ſed quia ita ordinatum eſt in cauſis ſuis, vt ſit futurum, ſic enim Medicus dicit: iſte ſanabitur,& iſte morietur: & ſi aliter contingat non falſum dixit, ſic enim tunc futurum erat ex ordine cauſarum, quod tamen poſſibile eſt; impediri.* Vbi ſatis conſtat id quod dicitur futurum ex eo quod ſimpliciter erit, eſſe ſimpliciter futurum, quod verò futurum eſt ex ordine cauſarum, eſſe tale ſecundùm quid,hoc eſt ſpectata cauſarum diſpoſitione. Hinc 1. contragen. cap. 68. dum loquitur idem S:Tho. de cognitione futuri ſimpliciter, ad illius

veritatem requirit euentum, inquiens. *Contingens enim cum futurum eſt,poteſt non eſſe , & ſic cognitio æſtimantis ipſum futurum eſſe, poteſt falli, fallitur enim ſi non erit quod futurum eſſe æſtimauit.*

Quotuplex ſit ratio futuri.

COlligitur tertiò, rationem futuri formalem duplicem eſſe: alteram quidem certam , determinatam,& conſtantem,per quam certa,atque infallibili cognitione res cognoſci poſſit eſſe futura. Alteram verò ſuapte natura incertam, ratione cuius res , vt futura cognoſci non poſſit, niſi cum formidine,ac periculo erroris.Vtramque expreſſit S.Tho. in verbis ſuprà relatis ex 1.Periher. lect.13. & aliis locis ibi citatis : Ac vtraque prætereà ſatis patet ex doctrina eiuſdem p.p.quæſt. 14. ar. 13.& aliis locis citatis initio cap.2.vbi docet contingentia eſſe futura,quatenùs ſunt in cauſa,& ideò,quatenùs futura ſunt , cognoſci non poſſe niſi coniecturali,atque incerta cognitione,quia cauſam habent indeterminatam,atque indifferentem ad oppoſita: ex his enim ſatis patet , negari à S.Tho.rationem illam futuri in contingentibus , quæ ortum habet à perfecta determinatione cauſæ, admitti verò illam, quæ nititur propenſioni eiuſdem cauſæ in vnam partem potiùs,quàm in oppoſitam, quod ipſum eſt aperta explicatio duplicis in vniuerſum rationis futuri. Et ſanè ſi ea tantum reperiretur ratio futuri,quæ propria eſt futuri omninò neceſſarij, quippe quæ ortum ducat à perfecta determinatione cauſæ,propoſitiones omnes de futuro contingenti abſoluto eſſent euidenter falſæ,

cùm

cùm euidens ſit cauſam ipſorum non eſſe determinatam ad vnum:& cùm ſapientes,ac prudentes viri diuturna meditatione coniiciunt, an aliquod contingens futurum ſit abſolutè,necne:id tantùm inueſtigarent:an cauſa ipſius ad vnum determinata ſit,vel non determinata,quò nihil abſurdius. Ex dictis tamen conſtat argumentum hoc, & ſimilia probare quidem veritatem futuri, quæ non pendeat à perfecta determinatione cauſæ, non tamen probare,contingentia ſub huiuſmodi veritate certò preſciri etiam à Deo, quia res ſub huiuſmodi ratione non ſubditur alicui cognitioni per certitudinem, vt docet S.Tho.p.p.quæſt.14.ar.13.ſæpè citato,& alibi paſſim.

Quot modis concipi poſſit res quæ nondum exiſtit, vt præſciatur.

EXplicata ratione formali futuri, eiuſque diuiſione ſupereſt, vt explicemus quibus modis concipi poſſit res quamdiu eſt futura,vt præſciatur antequàm ſit.Poteſt autem concipi.

Primò quidem prout eſt in ſua cauſa, qua ratione conſideratur res formaliter,vt futura eſt.

Secundò,quatenus eſt actu in ſe ipſa extra cauſas:qua ratione ſi conſideretur antequam ſit, licèt reſpectu durationis coexiſtentis huiuſmodi conſiderationi,& conceptioni,& antecedentis exiſtentiam ipſius rei,hæc dicatur futura:non tamen conſideratur,vt futura,ſed vt præſens : atque hæc conceptio præſentiæ ipſam rei præſentiam ſua reali duratione anteuertens in Deo opt. max. reperitur ob infinitam intelligendi vim, &ob eximiam illam

Iam diuinæ intellectionis menſuram, ratione cuius incipere non poteſt conceptio cum res ipſa creata incipit , ſed opus eſt eam antecedat per æternitatem. Tota hæc doctrina eſt S. Tho. locis ſuprà citatis, vt legenti conſtabit. His autem poſitis.

Propoſitiones de futuris contingentibus abſolutis.

Prima Propoſitio.

Dico primò, Thomiſtæ omnes fateri omninò debent futura contingentia abſoluta non aliter à Deo certò cognoſci niſi quatenùs ipſe ab æterno illa intuetur, vt actu in ſe ipſis exiſtentia in certa differentia temporis , & quatenùs æternitati præſentia ſunt. Patet ex teſtimoniis S. Tho. Thomiſtarum omnium antiquiorum , atque aliorum etiam Auctorum , quæ attulimus initio cap. 2. Illa enim hoc euidentiſſimè probare videntur.

Neque valet ſi cum nonnullis dicas ex S. Tho. p. p. quæſt. 14. ar. 13. Deum non ea tantùm ratione cognoſcere futura contingentia, quatenus ſunt in ſe ipſis, ſed etiam vt ſunt in cauſis ſuis. Quod clarius videtur exprimere 2. 2. quæſt. 171. ar. 6. ad 2. vbi ait Deum dupliciter intueri effectus contingentes, & futuros : vno modo vt ſunt in ſeipſis præſentes in æternitate: Alio modo vt ſunt in ſuis cauſis ſecundis determinatis. Hoc (inquam) non valet. Reſpondeo enim ſi textus omnes quos vidi mirum in modum corrupti nõ ſunt, tantùm abeſſe, vt apud S. Tho. habeatur verbum illud (determinatis) vt aliquid potiùs planè oppoſitum legatur

tur:citata enim quæſt.171.2.2.ar.6.ad 2.S.Tho. ſic habet. *Ad ſecundum dicendum quod diuina præſcientia reſpicit futura ſecundùm duo, ſcilicet, ſecundùm quod ſunt in ſe ipſis,in quantum, ſcilicet, ipſa præſentialiter intuetur;& ſecundùm quod ſunt in ſuis cauſis,in quantum, ſcilicet, videt ordinem cauſarum ad effectus: Et quamuis contingentia futura, provt ſunt in ſe ipſis ſint determinata ad vnum, tamen provt ſunt in ſuis cauſis, non ſunt determinata,quin poſſint aliter euenire.* Hæc S.Thom. ex quibus patet ipſum non modò non aſſerere determinationem cauſarum futurorum contingentium, in qua poſſint certò à Deo cognoſci;ſed eam expreſsè etiam excludere. Et ſanè non poſſet S.Thom. admittere hoc loco huiuſmodi determinationem; quin euidenter ſecum ipſe pugnaret; Nam ſexcentis aliis in locis initio cap.2.adductis totus in eo eſt, vt Deus contingentia certò præſcire nequeat, quatenus futura ſunt,& provt ſunt in cauſis ſuis propter ipſarum indeterminationem; ſed ſolùm quatenus extra cauſas exiſtunt præſentia æternitati. Quam certè doctrinam more ſuo ſibi conſtans S. Thom.expreſsè retinet in hac ipſa reſponſ. ad ſecundum ait reuelationem propheticam eſſe aliquando impreſſam quandam ſimilitudinem diuinæ præſcientiæ,prout reſpicit ipſa futura contingentia in ſe ipſis,& tunc ea quæ prædicantur, ſic euenire ſicut prophetantur ſecundùm illud Iſaiæ 7. *Ecce virgo concipiet*: quandoque verò eandem reuelationem eſſe impreſſionem ſimilitudinis diuinæ præſcientię, prout cognoſcit ordinem cauſarum ad effectus:& tunc quãdoque aliter euenire,quàm prophetetur. In quo euentu explicat poſteà quomodo Prophetia

phetia falſa non ſit.In his ergo apparet conſtans S. Thom. doctrina ; ideò enim vult Prophetiæ ſemper euentũ reſpondere,vt eſt ſimilitudo diuinæ præſcientiæ ſub illa prima ratione quia diuina præſcientia prout reſpicit contingentia futura in ſe ipſis certiſſima eſt, & infallibilis : ideò verò fatetur euenire aliquando aliter quàm prophetetur, dum Prophetia eſt impreſſio ſimilitudinis diuinæ præſcientiæ ſub poſteriori ratione explicata : quia diuina præſcientia vt reſpicit contingentia in ſuis cauſis , vel vt per eam cognoſcitur ordo cauſarum ad ipſa;non eſt(vt alibi paſſim tradit idem S.Thom.) certa prænotio euentus futuri. Sed præter hæc quæ attulimus ex S. Thom. adeſt etiam adeò clarum, atque egregium teſtimonium Principis Thomiſtarum, vt ſatis ſupérque conſtet doctrinam S.Thom.allatam ex p.p. quæſt.14.ar. 13. & 2.2. quæſt. 171.ar.6.ad 2. cum Propoſitione noſtra nullatenùs pugnare. Capreolus enim qui meritò Princeps Thomiſtarum dici ſolet;in 1.diſt.38.quæſt.1.ar.2. Ad argumenta contra ſecundam concluſionem in reſp. ad 7. hæc habet. *Ad ſeptimum dico quod Deus cognoſcendo futurum duo cognoſcit , ſcilicet eſſe rei futuræ quod habet in ſeipſa , & eſſe quod habet in ſuis cauſis propter quod dicitur futura , hanc enim duplicem cognitionem habet Deus de quolibet futuro quod ponetur ineſſe pro aliqua menſura vt allegatum eſt in concluſione tertia de 2.2.quæſt.171.art. 6. Verumtamen licèt iſto duplici modo cognoſcat futurum ; tamen ratione ſecundi modi non ſubeſt diuinæ ſcientiæ per certitudinem ; ſed ſolùm quia ſubeſt primo modo.* Hæc Capreolus de futuris contingentibus in explicationem doctrinæ

S.Thom. ſuprà nobis obiectæ, quam non aliter ac ipſe interpretamur.

De ſententia Ariſtotelis quod attinet ad veritatem futurorum contingentium.

EX his obiter explicari poteſt ſententia Ariſt. 1.Periherm.cap.vlt, perperam enim aliqui; vt eum in ſuum ſenſum traherent vel inuitum; dixerunt ab ipſo non negari determinatam veritatem in ſingularibus propoſitionibus de futuro contingenti niſi quoad nos: S. Thom. enim ibidem cum Peripateticis antiquioribus docet eam ſimpliciter, atque ex natura rei negari: id quod contextus ipſe manifeſtè aperit.

Alij verò licet hunc Ariſt. ſenſum aliqua ex parte perceperint; iniuria tamen eum reprehenderunt quaſi hac in re deceptus ſit; atque errauerit contra principia fidei; nulla enim erroris ſuſpicio eſſe poteſt in ea opinione, quam approbat optimus ſentiendi Magiſter S.Thom.

Ariſt. igitur agit de futuris contingentibus ſub formali ratione futuri contradiſtincta à ratione præſentis; & ideò ipſis negat ineſſe eam veritatem, quæ ſubiici poſſit per certitudinem alicui cognitioni; non tamen negat illam veritatem ratione cuius cognóſci poſſint coniecturaliter, ſeu per cognitionem, quæ ad veritatem magis quidem propendeat, ſed tamen ante euentum apta ſit etiam recipere falſitatem. Hinc duabus contradictoriis de futuro contingenti negat ita diuidi verum à falſo vt in vna ſit veritas ab initio cōſtans ſine aptitudine ad falſitatem. In alia verò ab initio

initio ſit falſitas ſine aptitudine ad veritatem. Hæc ſingillatim facilè probari poſſunt. Et quidem quod Ariſt. loquatur de contingentibus ſub formali ratione futuri contradiſtincta à ratione præſentis probatur.

Primò, quia futura ſub alia quam ſub formali ratione futuri hoc eſt prout actu ſunt in ſeipſis, ſunt formaliter præſentia, & à præſentibus nullatenùs diſtinguuntur: Ariſt. autem initio illius cap. vlt. expreſsè contradiſtinguit futura contingentia à præſentibus, & profitetur, agere ſe de contradictoriis propoſitionibus de futuro quâtenùs diuerſæ ſunt à contradictoriis de præſenti, & præterito.

Secundò probatur, quia quod contingentia cognoſci poſſint quatenùs ſunt extra cauſas, & præſentia, illa cognitione quæ ſit antequam ipſa exiſtant; nos lumine fidei adiuti vix aliqua ratione poſſumus concipere, quamuis de re minimè dubitemus: Ideò Ariſt. hoc ipſum ne ſomniare quidem potuit: & ex contextu ipſius apertè conſtat eum loqui de futuris contingentibus prout à nobis cognoſcuntur; déque propoſitionibus contradictoriis circa illa quatenùs à nobis emanant, quæ immediatè ſignificant noſtros conceptus de huiuſmodi futuris; & ipſa futura vt noſtris conceptibus ſubſtant ex eodem Ariſt. 1. Periher. initio: hoc eſt ipſa futura quatenùs ſunt in cauſa, & quatenùs ſunt formaliter futura, & contradiſtincta à præſentibus, quia hac ſolùm ratione à nobis cognoſcuntur vt ſæpiſſimè citato ar. 13. p. p. quæſt. 14. & alibi paſſim docet S. Tho. Ex quo etiam fit vt dum aliquam propoſitionem noſtram

de his futuris contingentibus confirmamus; rátioné ſemper petamus ex circumſtantiis cauſæ,ex ſeu modo quo res in illa habet eſſe: Ex his ergo videtur ſatis conſtare Ariſt.loquutum eſſe de futuris contingentibus ſub formali ratione futuri.

Quòd verò idem Ariſt. neget huiuſmodi futura ſub formali ratione futuri eam habere veritatem,per quam certò, & infallibiliter cognoſci poſſint futura, ita vt contradictoriæ de ipſis verum à falſo diuidant modo explicato. Probatur, quia totus in eo eſt vt ex contradictoriis de futuro contingenti hæc determinatè accepta non ſemper fuerit vera;illa autem falſa:quia hinc putat ſequi,vt res non potuerit, non eſſe futura, ac proinde ſit neceſſaria: Hinc prope finem capitis hæc habet. *Quare cùm ſimiliter orationes veræ ſint, quemadmodum & res,manifeſtum eſt, quod quæcumque ſic ſe habent,vt ſint vtrumlibet contingit; & contraria ſuſcipiant; neceſſe eſt ſimiliter ſe habere & contradictionem.* Vbi manifeſtè exprimit aptitudinem illam, quam ante euentum rei habent ſingulæ contradictoriæ ad veritatem & falſitatem: ita vt ſint ſuſceptiuæ contrariorum;hoc eſt veritatis,& falſitatis. Quæ ſanè aptitudo eſſe nequit vbi ſit obiectiua veritas in quam ferri poſſit cognitio omnino certa, & infallibilis.

Denique quòd Ariſt.non negauerit his futuris eam obiectiuam veritatem ratione cuius coniecturali, & probabili; ſimpliciter tamen incerta cognitione cognoſci poſſint in ratione futuri.Patet,quia pro abſurdo infert ex veritate horum futurorum omnino certa,& conſtanti, tolli coniecturas,& conſultationes circa illa. Ideò expreſsè negat

negat veritatem ratione cuius cognitione ſimpliciter certa cognoſci poſſint in ratione futuri: affirmat verò illam veritatem per quam ſub eadem formali ratione futuri cognoſci poſſit, cognitione quadam incerta;& coniecturali.

Ariſt.igitur ſententia in propoſito verè conſiſtit in iis,quæ paulò ſuprà tetigimus, & ſingillatim ex ipſo hactenus confirmauimus. Quæ ſanè optimam continent doctrinam vt conſtare poteſt ex dictis,quia ſicut ab euentu pendet vt eſſe rei contingentis in cauſa trahat ſecum eſſe eiuſdem actuale extra cauſas in certa differentia temporis; & ante euentum ipſum eſſe quidem poteſt maior,ac maior propenſio in re; non tamen perfecta determinatio:Ita etiam ab euentu pendet, vt propoſitio affirmans huiuſmodi rem eſſe futuram(quippe quæ affirmat quendam quaſi nexum inter eſſe in cauſa,& eſſe actuale) ſit determinatè vera,aut falſa:atque ante euentum licet eſſe poſſit magis, ac magis veriſimilis; non tamen poteſt eſſe omninò certa.Neque hæc vllatenus pugnant cum principiis fidei,cùm à S. Thom. (vt patet ex ſuprà relatis) ita approbentur, vt ſimul egregiè explicetur qua alia ratione Ariſtoteli prorſus ignota, vel ſaltem hoc loco minimè tacta Deus certiſſima cognitione præſciat futura contingentia abſoluta.

Secunda Propoſitio de futuris contingentibus abſolutis.

DIco ſecundò Theologi omnes opinionem S. Thom. vt ego quidem arbitror veriſſi-

mam, in propoſito amplecti neceſſariò debent, ſin minùs quatenùs excludit alios modos, quibus Deus certò præſciat futura contingentia abſoluta: ſaltem quatenus includit modum illum à S.Thom.approbatum; hoc eſt quatenùs Deo tribuit ab æterno clariſſimum, & certiſsimum intuitum illius eſſe actualis, quod res in tempore acquirit, dum producitur extra cauſas; ita vt Deus rem vt exiſtentem, ac præſentem videat non ſolùm cum de facto exiſtit; ſed etiam tota æternitate anteà quia intuitus diuinus qui in temporalem rei exiſtentiam fertur; ab æterno exiſtit.

Probatur hæc propoſitio ratione S. Thom. quam affert in p. diſt. 38. quæſt. 1. ar. 5. his verbis. *Dico igitur quod intellectus diuinus intuetur ab æterno vnumquodque contingentium non ſolum prout eſt in cauſis ſuis: ſed prout eſt ineſſe ſuo determinato; cum enim re exiſtente ipſam rem videat prout ineſſe ſuo determinato eſt, aliter cognoſceret rem poſtquàm eſt, quam antequàm fiat; & ſic ex euentibus rerum aliquid eius accreſceret cognitioni.* Hanc rationem approbat (Capreol. in 1. diſt. 38. quæſt 1. art. 2. conclu. 2. Scot. in 1. diſt. 39. quæ. 5. §. Auctoritates omnes ſanctorum Baſſol. in 1. diſt. 45. quæſt. 2. ar. 3. §. Contra iſtam opinionem Durand. in 1. diſt. 38. quæſt. 3. ar. 2. num. 11. §. quantum ad ſecundum in fine. Et quod caput eſt eandem fusè vrget S. Aug. lib. 2. ad Simplic. quæſt. 2. paulòpoſt initiũ. Et ſanè ratio hęc videtur aſſenſum omninò extorquere. Nam cùm res eſt præſens ab ipſiſmet hominibus vt præſens cognoſcitur. Ideò multò magis ſub eadem ratione cognoſcitur tum à Deo, quem latere non poteſt vlla ratio cognoſcibilis. Si ergo intuitus ille diuinus,

hus, quo res videtur ſub formali ratione præſentis non erat, antequàm res exiſteret; ſed tunc primò incipit eſſe: ſciētia Dei in tēpore ex nō intuitiua fit intuitiua; & ideo aliquid ei accreſcit per temporalē mutationem; quod cùm abſurdiſſimum ſit, dicenda eſt ſcientia Dei ſub ratione etiam intuitus huius rei hoc tempore exiſtentis fuiſſe ab æterno.

Confirmatur, quia propria cuiuſcumque cognitionis diuinæ menſura eſt æternitas; ergo quæcumque cognitio diuina aliquando exiſtit; illa eadem ſemper, & ab æterno fuit: ſed tunc cum res contingens de facto exiſtit, exiſtit etiam intuitus diuinus quo res illa contingens cognoſcitur ſub formali ratione præſentis: Ergo ille idem intuitus ab æterno fuit; & per eum ab æterno cognouit Deus eandem rem vt in hoc certo tempore actu exiſtentem. Hæ ſanè rationes non innituntur principiis propriis Thomiſtarum, ſed iis quę ab omnibus admittuntur: ideò videntur propoſitionem noſtram optimè probare.

Proponitur, ac diluitur argumentum contra primam & ſecundam Propoſitionem.

CVm in prima Propoſitione dixerimus futura contingentia abſoluta ex ſententia S. Thom. nulla alia ratione à Deo poſſe certò cognoſci, quàm per intuitum, qui in ea feratur ab æterno, vt actu exiſtentia ſunt extra cauſas: Cúmque hanc opinionem tum in ſecunda propoſitione, tum alibi paſſim in hoc opuſculo approbemus: contra obiici poteſt, quia certiſſimum eſt illud eſſe abſolutè futurum quod Deus liberè & abſo-

lutè decreuit vt eſſet. Ergo eo ipſo quod Deus cognoſcat hoc ſuum decretum circa aliquod contingens, certò ſciet illud eſſe abſolutè futurum abſtrahendo ab actuali eiuſdem contingentis exiſtentia: Ergo nec S. Tho. nec vllus alius opinari poteſt hac vna ratione Deum certò præſcire futura contingentia abſoluta; quatenùs nimirum ea intuetur vt actu exiſtentia.

Reſpondeo de ſententia S. Tho. ſatis ſupérque conſtare ex iis, quæ retulimus initio c. 2. Ipſe enim per particulam excluſiuam (niſi) expreſsè excludit quemcumque alium modum, quo Deus dici poſſit certò cognoſcere futura contingentia abſoluta, aliter quàm intuendo illa vt actu exiſtentia extra cauſas. Nec tamen contra hanc ſententiam vrget argumentum propoſitum, quia ſi decretum diuinum Deo ſuppeditare poſſet alium modum certò cognoſcendi huiuſmodi futura; poſſet etiam decretum ipſum à Deo ita videri vt ſimul contingentia non viderentur in eodem inſtanti rationis, in quo vt actu extra cauſas conſtituta; ſed ſolùm vt contenta in cauſis ſuis, & præſertim vt contenta in vi & libera determinatione eiuſdem decreti. Hoc autem in ſententia S.Th. eſt falſum; cum enim ipſe p.p. quæſt. 25. ar. 1. ad 4. in ſolutione illius quarti argumenti vtatur poſtremò loco ea opinione, quæ in Deo ne ratione quidem diſtinguit voluntatem à potentia executiua, hoc ipſo videtur hanc opinionem probabiliorem iudicare: & ideò doctrina in aliis quæſtionibus tradita cum hac ipſa opinione concilianda eſt; nec opus omnino eſt vt concilietur cum ea quæ potentiam à voluntate ratione diſtinguit. Hac autem diſtinctione negata, fateri etiam

etiam debemus actualem volitionem diuinam ab actu potentiæ executiuæ ſecundum id quod importat in Deo nulla ratione diſtingui. Ex quo ſequitur vt ſicut in huiuſmodi actu non poteſt intelligi res quæ producitur tanquam in cauſa, quia ſecundùm rationem exiſtentiæ per ipſum acceptæ eſt terminus illius. Ita etiam res contingens non poſſit cognoſci futura in decreto diuino actuali, quod ab actu potentiæ Dei executiuæ nullatenùs diſtinguitur; ſed in eodem inſtanti in quo ſolum cognoſci poſſit vt actu exiſtens extra cauſas.

Sed prætereà vt reſponſionem afferamus quæ vndequaque ſatisfacere videatur; animaduertendum eſt; in decreto diuino duo in omnium ſententia inuolui: entitatem ſcilicet diuinam; & prætereà vel mutationem aliquam ad extra in creaturis, vel reſpectum rationis: vel quid ſimile: Neque enim ſola entitas diuina per ſe conſiderata habere poteſt rationem liberi decreti cùm ſit neceſſaria, & æquè ſe habeat ad hanc rem quam Deus vult eſſe, & ad aliam, quàm non vult eſſe. Si ergo contingentia cognoſci debeant futura in decreto diuino: vel cognoſcentur in illo, quatenùs importat ſolum entitatem Dei neceſſariam: Et hoc dici non poteſt: Quia hæc per ſe accepta, vt diximus, neceſſaria eſt,&eodem modo reſpicit omnes creaturas; & propterea non poteſt ex illis futuram oſtendere hanc potiùs, quàm aliam: vel cognoſcentur in decreto vt inuoluente reſpectum rationis,aut aliquid ſimile. Et hoc ipſum dici nequit, quia reſpectus huiuſmodi inter Deum, & hanc creaturam non conſurgit niſi facta mutatione in creatura per tranſitum ab eſſe poſſibile ad

eſſe actuale:& ideò cùm ipſa in ſe cognoſcibilis ſit, vt actu exiſtens extra cauſas, non poteſt per decretum cognoſci vt in illo contenta;& abſtrahens ab eſſe actuali:Et vniuerſaliter quicquid eſt quod intelligitur importari à decreto diuino pręter diuinam entitatem includit vel ſupponit huiuſmodi tranſitum creaturæ ab eſſe poſſibili ad eſſe actuale: & ideò non eſt aliquid prius & magis cognoſcibile quàm res ipſa in ſe vt actu exiſtens extra cauſas;ac proinde res ipſa non poteſt in illo vt nõ includens actualem exiſtentiam cognoſci tanquã in obiecto primario.Ex quibus patet diuinum decretum non efficere quin à S. Thom. & aliis iure negetur fieri poſſe vt aliter Deus certò cognoſcat futura contingentia abſoluta quàm ab æterno intuendo ipſorum exiſtentiam vt in certa differentiã temporis exercitam.

Tertia Propoſitio, de futuris contingentibus abſolutis.

Dico tertiò, etiamſi per impoſſibile effectus cauſæ creatæ contingentis, & liberæ nullatenùs penderent à diuina voluntate; dummodò tamen in Deo eſſet eadem perfectio; quæ nunc eſt in parte intellectiua; atque eadem menſura æternitatis eorum quæ ſunt in ipſo: In eodem eſſet ab æterno certiſſimus; & clariſſimus intuitus omnium futurorum abſolutorum in ſe ipſis, & quatenus exiſtentia,& præſentia ſunt,ſicut eſt de facto.

Vt hæc propoſitio clarior fiat; animaduertendum eſt, de facto omnes actus cauſæ creatæ contingentis,

tingentis,& liberæ (ſicuti etiam omnia entia creata) pendere à diuina voluntate, & à libero ipſius decreto: Ex quo fit, vt ſcientia diuina intuitiua, de qua agimus; cùm prærequirat in priori rationis cum fundamento in re exiſtentiam contingentis futuri; multò magis prærequirat etiam ipſum liberum Dei decretum, à quo pendet illa rei contingentis exiſtentia. Hinc iam dicimus, quamuis de facto ſcientia hæc intuitiua requirat hoc pacto diuinum decretum; hoc tamen non requiri tanquam immediatum quoddam determinatiuum Intellectus diuini ad certam rationem: ſed requiri ſolùm quaſi remotè, quatenùs, nimirum, concurrit ad effectiuè conſtituendum ipſius viſionis obiectum: ita vt licet ex intrinſeca perfectione Dei, atque intrinſeca dependentia creaturæ à voluntate diuina liberum hoc decretum requiratur: quod tamen idem decretum requiratur per accidens quodammodò ſe habeat ad intellectum diuinum præcisè ſpectatum, quatenùs habere debet huiuſmodi viſionem: intellectui enim vt videat contingens futurum in ſe ipſo atque vt præſens, ſatis eſt ipſius contingentis exiſtentia vndecumque proueniat: Et quod hæc pendeat à decreto diuino: id non exigit diuinus intellectus formaliter quatenùs intellectus; & quatenùs videre debet ab æterno res exiſtentes in tempore. Quare vt in concluſione diximus. Etiamſi per impoſſibile nullum in propoſito adeſſe deberet liberum Dei decretum ſi id eſſet abſque vlla mutatione aliarum diuinarum perfectionum; ſcientia intuitiua Dei eadem omnino eſſet, quæ nunc eſt. Hæc concluſio ad inueſtigandam propriam rationem eximiæ

hu.us

huius viſionis Dei ita explicata.

Probatur euidenter illa eadem ratione,quâ probata eſt concluſio proxima: ſicut enim cùm res exiſtit, eam nos intuemur, quamuis illa neque à noſtro decreto pendeat, neque decretum diuinum à quo verè pendet, vllatenùs videamus: ita etiam Deus illam videret, etiamſi nihil de ea decerneret, dummodò infinitam illam intelligendi vim retineret; qua de facto poſſet: Neque hic intuitus ab illo etiam decreto ſeiunctus incipere poſſet cum exiſtentia rei creatæ, ſi Dei ſcientia incapax eſſet ex ſuppoſitione (vt nunc de facto eſt) mutationis, atque augmenti, eiúſque menſura eſſet æternitas: ex his colligitur, quamuis ordine naturæ vel rationis cum fundamento in re obiectum ſemper cognitionem præcedat; Quia ex eo quod res eſt, vel non eſt cognitio, & propoſitio eſt vera, aut falſa: ordine tamen temporis, vel etiam æternitatis quatenùs eſt virtualiter diuiſibilis, & ſucceſſiua ratione coëxiſtentiæ inadæquatæ cum hoc, vel illó tempore cognitionem in propoſito eſſe priorem obiecto: cuius rei attulimus ſuprà firmiſſimas rationes à poſteriori, atque ab abſurdo. Ratio autem à priori, ſed non immediata ea videtur eſſe, quia antequàm exiſtat obiectum (hoc eſt ab æterno) eſſentia diuina in ratione ſpeciei intelligibilis determinat ad cognitionem diuinum intellectum, qui cùm ſpecies non accipiat à rebus: non indiget ipſarum exiſtentia vt determinetur ad illas videndas, ſed quia ratio etiam afferri poteſt cur eſſentia diuina ea ratione determinet intellectum: Ideò hæc, vt diximus, non eſt immediata.

Ratio igitur quantùm haberi poteſt hac in re

à priori

à priori,atque immediata eſt, quia cùm infinita perfectio intellectus diuini poſtulet determinationem à diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis ad cognoſcendum quodcumque obiectum pro tota ea duratione pro qua cognoſcibile eſt; & ſub omni ea ratione ſub qua eſt cognoſcibile: Res quæcunque aliquando exiſtens, cognoſcibilis eſt vt exiſtens etiā ab ęterno. Nam hoc ipſo quod res exiſtit in certa differentia temporis, reſpondet vt ſimilis imagini etiam ab æterno ęxiſtenti, quæ ipſam, vt in ſua differentia temporis exiſtentem repræſentet: ſimilitudo enim inter cognitionem, & obiectum: in qua conſiſtit veritas cognitionis: non debet conuenire cognitioni quatenùs entitas quædam eſt, ſed formaliter quatenùs imago eſt. Hinc fit vt licet entitas cognitionis, aut cuiuſuis alterius imaginis ſit in loco diuerſo à loco obiecti: ſi tamen obiectum repræſentat vt in ſuo loco exiſtens:habeat cum eo (quod attinet ad locum) eam ſimilitudinem in ratione imaginis, quæ requiritur ad veritatem: eadem ergo ratione quamuis cognitio ab æterno exiſtat: ſi tamen repræſentat rem vt exiſtentem in ſua certa duratione; hoc ipſo habet eam ſimilitudinem cum obiecto (quod attinet ad durationem) quam requirit veritas imaginis, & cognitionis: & ideò hoc ipſo quod res aliquando exiſtit apta eſt videri clariſſimo ac veriſſimo intuitui ab æterno exiſtenti.

Quamuis autem hîc fateri debeamus nos perfectè explicare, aut concipere non poſſe; quo pacto eſſentia diuina apta alioqui ad determinandum in ratione ſpeciei intelligibilis diuinum intellectum ad cognoſcendum hoc, & illud contin-

gens

gens futurum; atque ad hoc cognoſcendum vt futurum nobis, atque vt non futurum; præſentiat quodammodò ab æterno exiſtentiam huius in certa differentia temporis; vt de facto determinet ad cognoſcendum hoc potiùs quàm illud, atque ad hoc cognoſcendum potiùs vt nobis futurum, quàm vt non futurum. Hoc tamen non oſtendit rationes iam allatas firmiſſimas non eſſe, & propoſitum euidenter non probare: ſed ſolùm oſtendit; hoc ipſum quod eſſe demonſtramus; nos dum mortales ſumus intelligere vndequaque non poſſe quo modo ſit.

Ex quibus patet, data illa hypotheſi impoſſibili vt ad actus contingentes, & liberos cauſarum ſecundarum diuinum decretum, & conſequenter diuinus cōcurſus non requiratur: ad præſcientiam diuinā (exempli cauſa) volitionis, quā habuit Eua prohibitę comeſtionis pomi, opus tantum fuiſſe vt Eua in aliquo priori ſigno rationis eſſet, conſtituta in Paradiſo terreſtri in illis circūſtantiis, in quibus de facto volitionem habuit, & prætereà vt priùs etiam ratione quàm hæc volitio ſciretur à Deo, intelligeretur Eua ipſa eo modo in Paradiſo conſtituta: ſolutio enim illa vtpote effectus Euæ in illis circumſtantiis, debuit eſſe poſterior: & cùm effectus hic immanens videri non potuerit non viſa cauſa, ordo actuum cognitionis imitari debuit ordinem ipſorum obiectorum. Vbi autem Eua in illis circumſtantiis conſtituta fuerit, atque à Deo viſa: ſicut ipſa potuit quantumuis circumſtantiæ allicerent, volitionem illam producere, & non producere: ita Deus potuit illam volentem, ac nolentem in eiſdem circumſtantiis videre, neque in eo ſigno ratio

rationis in quo ipſam in illis circumſtantiis vidit, neque ex vi illius viſionis certò ſciuit ipſam volituram, ſed quia Eua in poſteriori ſigno rationis per actualem vſum libertatis ſe determinauit ad illam volitionem, eámque elicuit: ideò Deus poſt viſam Euam in illis circumſtantiis conſtitutam, vidit etiam in quodam ſigno rationis poſteriori volitionem ipſius. Atque ex dictis in hoc exemplo propoſito conſtare poteſt vniuerſaliter, data illa noſtra hypotheſi: vt Deus certò præſciat ab æterno futurum aliquod contingens abſolutum ſolum prærequiri, vt videat cauſam ipſius in certis circũſtantiis actu exiſtentem: de hac enim conſtituta in oratione liberè volendi, & liberè nolendi eo ipſo formari poſſent propoſitiones contradictoriæ de præſenti, hoc eſt, vult, aut non vult: quarum vna determinatè eſt vera, & altera determinatè falſa, & ideò vtraque à Deo ſuo modo cognoſcibilis infallibiliter. Et cùm cauſa ita conſtituta pro primo inſtanti rationis, in quo ita ſe habet, ſit in actu primo, & indifferens ad volendum, & nolendum: in poſteriori tamen inſtanti rationis eſſe omninò debet in actu ſecundo, & per actum ſecundum determinata; cũque nõ poſſit in hoc poſteriori ſigno habere vtrumque actum ſecundum oppoſitum, vt patet vel neutrum (quia vbi propoſitum eſt voluntati obiectum liberè eligendum, aut reſpuendum impoſſibile eſt, vt non ſit aliquod exercitium libertatis) vel alterum indeterminatè: quia omnis actus ſecundus in ſuo ſigno rationis in quo actu eſſe debet vt actus ſecundus extra cauſas, eſt determinatus: cùm hæc (inquam) ita ſint, oportet vt cauſa illa in poſteriori illo ſigno rationis ſit in actu ſecun

ſecundo certo determinato : hoc eſt in illo quem ipſa pro innata libertate elegerit. Et ideò hoc ipſo quod Deus, vt diximus, videt cauſam liberam in certis circumſtantiis conſtitutam, videt poſteriùs ordine rationis actum ipſius liberum certum, & determinatum, idque accidit ab æterno præſentiente quodammodo eſſentia diuina liberam, & actualem electionem, qua cauſa in hanc potius partem quàm alteram fertur:ita vt ad hanc ipſam electionem videndam intellectum diuinum determinet in ratione ſpeciei intelligibilis.

Hactenùs explicauimus ſcientiam contingentium futurorum intuitiuam, quam Deus haberet data hypotheſi,vt abſque aliarum perfectionum detrimento nihil ipſe decerneret de actibus liberis creatis,neque ad illos concurreret ; Hinc autem facilè conſtare poteſt qualis ſit illa intuitiua ſcientia quam de facto habet,& vndénam certitudo ipſius petenda ſit:quamuis enim Deus de facto liberum habeat decretum, & liberum concurſum circa huiuſmodi contingentia abſolutè futura, quia tamen decretum, & concurſus ipſius nullam horum contingentium perfectam determinationem inducunt in actu primo,vt conſtat, tum ex opuſculo ſuperiori, tum ex iis quæ retulimus ex S.Tho.circa ſcientiam huiuſmodi futurorum.Ideò Deus etiam de facto anteà rationis ordine, quàm ab æterno vllum futurum contingens præſciuerit, intelligendus eſt vidiſſe cauſam ipſius in certis circumſtantiis conſtitutam vt principuum indifferens ad oppoſita per indifferentiam nullatenus impeditam à decreto diuino de concurrendo : & quia in pòſteriori ſigno rationis cauſa fuit in actu

ſecun

ſecundo certo, & determinato pro innata libertate electo; ideò Deus hunc actum ſecundum ab æterno vidit vt ſuo tempore exiſtentem, & præſentem, determinante intellectum diuinum ad hanc viſionem eſſentia diuina in ratione ſpeciei intelligibilis non quidem propter diuinum decretum (ſaltem proximè) quod indifferentiã non aufert à proximo principio rei contingentis, ſed propter actualem exiſtentiam rei contingentis, & effectus; quæ ipſi tribuit eam determinationem, & neceſſitatem qua omne quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe.

Quarta Propoſitio, de futuris contingentibus abſolutis.

DIco primò, ex iis quæ hactenus diximus de veritate formali ſimplicium enunciationum de futuro contingenti, déque determinatione, ac veritate obiecti earumdem explicari debet quæ veritas obiectiua reſpondeat hypotheticis de huiuſmodi futuro, & qua ratione illæ à Deo ſciantur certò, atque infallibiliter. Hæc enim hypothetica exempli cauſa de futuro contingenti: quia Eua conſtituetur in Paradiſo terreſtri, & in his circumſtantiis ita tentabitur à ſerpente, &c. liberè eliciet volitionem comedendi pomum vetitum & peccabit, poteſt accipi tripliciter.

Primò quidem tamquam propoſitio coniunctione vna, ita vt vtraque eius pars formaliter ſit de futuro ſub ratione futuri.

Secundò, ita vt prior pars licet quoad ſonum

P vocis

vocis ſit de futuro, quod tamen attinet ad modum cognitionis formaliter ſit de præſenti; quo pacto dum de contingentibus nos dicimus, hoc erit. In mente diuina ſolùm eſt hæc apprehenſio. Hoc eſt in tali differentia temporis.

Tertiò denique accipi poteſt, ita vt vtraque pars verè, & formaliter ſit de præſenti ex modo cognitionis; & hypothetica illa cognoſcatur non vt propoſitio coniunctione vna; ſed per modum duarum diſtinctarum apprehenſionum ordinem inter ſe habentium prout exigit connexio, quam habent obiecta ipſa inter ſe. Iam ſi hypothetica illa accipiatur primo modo, cùm vtraque pars ipſius ſit de futuro contingenti ſub ratione futuri; neutra ſigillatim poterit certò & infallibiliter cognoſci per ea quæ fusè tradita ſunt in ſuperioribus ex Ariſt. & S.Thom. Ac propterea multò minùs tota illa hypothetica cauſalis certò ſciri poterit. Si verò accipiatur ſecundo modo. Prior quidem pars; illa, nimirum, quia Eua conſtituetur in his circumſtantiis, quatenus importare dicitur actualem exiſtentiam Euæ in his circumſtantiis certò cognoſcetur; quia illi reſpondebit viſio Euæ vt in ſe ipſa exiſtentis extra cauſas in Paradiſo terreſtri in illis circumſtantiis, & laqueis ſerpentis antiqui. Poſterior verò pars erit ſolum cognoſcibilis coniecturaliter, & cum formidine ac periculo erroris inſtar aliarum omnium propoſitionum de futuro contingenti formaliter ſub ratione futuri: quare tota etiam hypothetica, vt vnum quid certò, atque infallibiliter cognoſci non poterit.

Si denique accipiatur tertio modo, ita vt volitio

litio vetitæ comeſtionis non videatur futura ex vi viſionis Euæ in illis circumſtantiis conſtitutæ; vel per modum illationis ex illis circumſtantiis, ſed videatur ſub ratione exiſtentis, & præſentis contradiſtincta à ratione futuri: hac ſanè ratione hypothetica illa tum ratione partium ſigillatim acceptarum, tum ratione totius erit certò cognoſcibilis: cùmque Deus, vt ſuprà probauimus ex S. Thom. futura contingentia certò cognoſcere nequeat ſub ratione futuri, vel ſub quacumque ratione diuerſa à formali eorumdem exiſtentia, & præſentia: Is profectò hypotheticam illam, & alias quaſcumque ſimiles de futuro contingenti tertio duntaxat modo ſuprà explicato dicendus eſt certò cognoſcere. Ita ſcilicet vt hypothetica de futuro contingenti abſoluto, prout à Deo cognoſcitur, non ſit formaliter de futuro, ſed de præſenti, neque ſit formaliter hypothetica, ſeu complexum quoddam, aut propoſitio vna per coniunctionem duarum, & illationem vnius ex alia: ſed potiùs ſit duplex apprehenſio ſimpliciſſima; quarum vna rationis ordine cum fundamento in re ſit alia prior, & per priorem quidem videatur à Deo Eua actu exiſtens, & præſens in Paradiſo terreſtri laqueis diabolicis obſeſſa, & in aliis omnibus circumſtantiis actu conſtituta: per poſteriorem verò Deus videat volitionem vetitæ comeſtionis ab Eua ex euaſione ſerpentis, & concurſu aliarum circumſtantiarum elicitam, & actu exiſtentem, & præſentem. Quare ſicut cum de futuro contingenti abſoluto dicimus, Deus ſcit hoc eſſe futurum, potiùs dicere deberemus Deus ſcit eſſe,

hoc, quod nobis eſt futurum, vt patet ex traditis ſuprà, & docet Capreol. in 1. diſt. 38. quæſt. 1. ar. 2. ad argumenta contra ſecundam concluſionem in reſp. ad 7. Ita etiam cùm dicimus, Deus ſcit hoc futurum eſſe, quia illud erit vel eſt; potiùs dicere deberemus, Deus videt actu illud eſſe; & actu eſſe hoc vt effectum ex illius influxu productum: non enim ex eo quòd viderit Deus Euã in Paradiſo terreſtri in illis circumſtantiis à Dæmone illectam, vidit illam conſenſuram, quaſi conſenſum in præuiis illis diſpoſitionibus præuiderit: ſed vbi vidit Euam in illis circumſtantiis conſtitutam, vidit poſteà eius actualem conſenſum, eúmque vidit actu eſſe ex eo quod Eua actu in illis circumſtantiis ita eſſet à Dæmone tentata; quatenùs, nimirum, eadem viſione qua conſenſum vidit vt actu exiſtentem, vidit etiam actualem ipſius productionem, & ea à quibus pendebat: licèt enim nulla ſit certa connexio inter Euam in illis circumſtantiis conſtitutam, & eius conſenſum in vetitam comeſtionem; quia tamen de facto per vſum libertatis Euæ productus eſt conſenſus concurrentibus etiam ſuo modo circumſtantiis illis, Dæmonis, nimirum, tentatione, &c. Ideò de facto verè conſenſus fuit, quia Eua fuit in illis circumſtantiis; hoc eſt conſenſus hic fuit effectus Euæ ita conſtitutæ, & ideò vt talis à Deo viſus eſt ab æterno. Ex quibus patet quo modo effectus contingentes, & liberi ex eſſe poſſibili in re, atque in mente diuina, transeat (vt abſtrahamus in præſentia ab eſſe conditionaliter futuro) ad eſſe futurum nobis abſolutum, ita vt cadant ſub diuinam viſionem in

ratione

ratione præſentis. Ante enim omne decretum Eua in circumſtantiis,in quibus peccauit: Adam in illis circumſtantiis, in quibus conſentit Euæ ſuadenti vetitam pomi comeſtionem: Cain in ea excitatione inuidiæ,quæ fratris occiſionem illi perſuaſit,&c.res erant,ſeu rerum coniunctiones quædam poſſibiles,& à Deo ſub hac ratione cognitæ; cum quibus effectus ipſi qui de facto prodierunt, comparabantur vt poſſibiles, ita vt ſimul pro cauſarum libertate poſſibiles etiam eſſent effectus oppoſiti. Vbi verò adueniente decreto diuino de producendis illis cauſis liberis in illa circumſtantiarum complexione; cauſæ ipſæ fuerunt abſolutè in eiſdem circumſtantiis futuræ, vidit Deus Euam de facto in Paradiſo terreſtri conſtitutam; & dolis diabolicis obſeſſam: Adamum coram Eua ſuadente lethalem pomi comeſtionem; & Cainum inuidiæ ſtimulis aduerſus fratrem agitatum.Hac verò viſione poſita,ſequuta eſt in poſteriori ſigno rationis viſio conſenſus, quem Eua præſtitit ſerpenti vt effectus eius ſuaſionis,quam adhibuit Dæmon:viſio conſenſus ab Adamo præſtiti vt cuiuſdam effectus mulicbris deceptionis.Et denique viſio volitionis Caini ab inuidia emanatæ, qua fratrem occidere decreuit. Quare ex reali productione, & exiſtentia cauſarum in prædictis conditionibus, & circumſtantiis emanauit de facto realis exiſtentia liberorum effectuum, licèt potuerit emanare oppoſitum: Et ex viſione illius realis exiſtentiæ cauſarum ortum aliquem habuit viſio liberorum actuum,qua viſi ſunt exiſtere per influxum à cauſis præſtitum concurrentibus,atque

impellentibus etiam illis circumſtantiis; quamuis potuerit ſimilem ortum habere ob libertatem cauſarum oppoſita viſio, quia in illis ipſis circumſtantiis cauſæ poterant facere oppoſitum; vidit ergo Deus modo ſuprà à nobis explicato has hypotheticas (quia Eua in Paradiſo terreſtri conſtituta ita à ſerpente tentabitur, conſentiet: quia Adam hoc pacto ab Eua allicietur; volet vetito pomo veſci: quia Cain hac occaſione ad inuidiam excitabitur; & ab inuidia ad occiſionem fratris volet ipſum occidere) vidit, inquam, non quidem videndo certam connexionem inter hæc, quæ ex aliqua hypotheticæ parte ab actuali exiſtentia abſtraheret: ſed vidit videndo actualem coniunctionem cauſæ cum illis circumſtantiis, & poſt interiectum quodammodò libertatis vſum, videndo actualem exiſtentiam actuum liberorum manantium à cauſa ita conſtituta circumſtantiis ipſis allicientibus, & concurrentibus: hanc verò, ſicut nos cum de facto eſt in tempore ideò videmus, quia eſt, ita etiam, quia eſt in tempore, eam vidit Deus eſſe in hoc ipſo tempore; ſed viſio ipſius ſemper, & ab æterno fuit, quia propria eius menſura eſt æternitas incapax initij, & finis. Libuit hęc in omnem partem verſare; quia licèt contendere quis poſſit has hypotheticas contra veriſſimam, vt ego arbitror, ſententiam S. Tho. aliter etiam à Deo certò cognoſci; quod tamen modo explicato infallibiliter cognoſcantur ab omnibus concedi debet. Et hoc ipſo admiſſo: veritatem obiectiuam, quam indagamus, futurorum contingentium conditionalium, quæ cognoſci poſſit certa cognitione antecedente diuinum decretum, facilè

cilè explicari & probari poſſe exiſtimo.

Propoſitiones de futuris contingentibus conditionalibus:

Prima Propoſitio:

EX futuris contingentibus abſolutis gradus iam faciendus eſt ad futura contingentia conditionata.

Dico igitur primò, ea omnia, quæ diximus de futuris contingentibus abſolutis, vt ſunt ſub formali ratione futuri contradiſtincta à ratione præſentis, dicenda omnino eſſe de futuris quoque contingentibus conditionatis; ita vt hæc etiam eatenùs habeant rationem formalem futuri conditionati, quatenùs ſunt in cauſa ſub illis conditionibus conſiderata, ratione quarum dicuntur conditionata: vel quatenùs ſunt in cauſa, & ſimul aliquo modo in conditionibus vt in aliquo pertinente ad actum primum. Prætereà vt hæc ratio futuri conditionalis diuerſa ſit ab ea futuri cõditionati ratione, quæ nititur neceſſitati conſequentiæ ex vi antecedentis, ſeu determinationi neceſſariæ ad effectum per conditionem importatæ. Denique vt hæc ratio futuri conditionalis, quæ tribui poteſt contingentibus, ea ſit, per quam cognoſci poſſint eſſe conditionaliter futura cognitione coniecturali ſolùm; & incerta.

Hæc omnia optimè probantur ex iis, quæ allata ſunt ad eadem probanda de futuris contingentibus abſolutis formaliter acceptis in ratione futuri: quæ non eſt cur inutiliter repetamus.

Secunda Propoſitio, de futuris contingentibus conditionatis, quæ vnà cum ſuis confirmationibus totam difficultatem propoſitæ quæſtionis diſſoluere videtur.

DIco ſecundò, quemadmodum futura contingentia abſoluta cõſiderari poſſunt vt abſolutè exiſtentia extra cauſas, & præſentia: & ſub hac ratione habent determinatam veritatem, ratione cuius certiſſima Dei cognitione præſciri poſſunt, vt explicauimus; ita etiam futura contingentia conditionata, ſeu ex hypotheſi conſiderari poſſunt ante quodcumque decretum diuinum, vt exiſtentia, & præſentia ex hypotheſi; & ſub hac ratione habeat obiectiuam veritatem, quæ certiſſimæ præſcientiæ Dei ſubiici poſſit in inſtanti rationis antecedente omnem actum liberum voluntatis diuinæ. Et nemo hoc negare poteſt; qui de futuris contingentibus abſolutis id concedat, quod non modò à Thomiſtis, ſed ne ab vllo quidem Theologo negari poſſe probauimus propoſitione ſecunda de futuris contingentibus abſolutis.

Propoſitio hæc quæ totius difficultatis nodum diſſoluere videtur accuratiùs explicanda eſt; Deinde verò probanda: animaduertendum ergo eſt futura conditionata, & futura ex ſuppoſitione, ſeu ex hypotheſi nullatenùs differre: quò fit, vt huiuſmodi futura alio, atque alio modo conſiderari poſſint, ſi hypotheſis aliam atque aliam rationem habeat. Hypotheſis autem in vniuerſum duplex eſt.

Quædam enim eſt hypotheſis, quæ ſimul cum

co,

eo, quod ex hypotheſi affirmatur, vnam conſtituit propoſitionem, quę nihil eſt aliud niſi conſequentia, & illatio in cōditione poſita; vt cùm dicimus; ſi ſol eſt, dies eſt: In hoc enim exēplo ex hypotheſi, & non abſolutè affirmamus eſſe diem: ita tamen affirmamus, vt tam hypotheſim quàm id quod ex hypotheſi aſſerimus, complectamur vnica propoſitione, quæ neque ſolem eſſe, neque diem eſſe abſolutè affirmet; ſed ſolùm affirmet vnum inferri ex alio; ita vt exiſtente altero, verum omninò ſit alterum quoque exiſtere. Ac per hypotheſim hac ratione acceptam propoſitiones efficiuntur verè hypotheticę à ſimplicibus diuerſæ, quia ſemper proferuntur cum quadam coniunctione, & nexu, qui plures propoſitiones ſimplices, & cathegoricas ſimul iungit ad conflandam, & conſtituendam vnam propoſitionem hypotheticam, hoc eſt propoſitionem ex pluribus ſimplicibus compoſitam, & coniunctione vnam. Dum enim dico; ſi ſol eſt, dies eſt: per illam particulam, ſi, ſimul iungo has duas propoſitiones ſimplices. Sol eſt, dies eſt: atque vnam ex vtraque conflatam propoſitionem profero.

Alia rurſus eſt hypotheſis, quæ conſtituitur quodammodo ſeorſim ab eo, quod ex hypotheſi affirmatur: quia alia eſt propoſitio per quam hypotheſis conſtituitur: alia verò per quam aliquid ex eadem hypotheſi enunciatur. Talis hypotheſis aliquando fit per quandam inter ſe conſentientium conditionem: ſi enim de conſtitutione rerum corporalium diſputemus; & tibi demonſtrare velim corporalia omnia materiæ formæque concurſu ſubſiſtere: petam à te vt ex communi con-

ſenſu faciamus hanc hypotheſim; vt ſcilicet ponamus formam ſeparatam eſſe à materia: vt quod naturaliter eſſe nequit in re; conſtituamus aliquantiſper in mente, donec ratio ad ſuum terminum perducatur: Hac verò hypotheſi conſtituta cùm concedas mihi formam eſſe à materia ſeiunctam; facilè colligam nihil rerum corporalium ſupereſſe: ex quo rurſus oſtendam huiuſmodi res perconiunctionem materiæ ac formæ conſiſtere: hæ verò propoſitiones ab hypotheſi illa pendebunt quidem, eamque vt priorem ſupponent: non tamen eam in ſe ipſis includent: ſicut concluſio cuiuſlibet Syllogiſmi ſimplicis, & prædicatiui licèt pendeat à quibuſdam poſitis, & conceſſis: ipſa tamen eſt ſimplex propoſitio, & non compoſita ex illis prioribus propoſitionibus à quibus pendet: non enim profertur cum illa coniunctione vt ſi illa poſita, & conceſſa vera ſint, hoc ſequatur: ſed profertur vt ſimpliciter enuncians hoc ſequi. Similis eſt hypotheſis & ſuppoſitio in ſcientiis circa illa principia, quæ cùm abſolutè probari poſſint à priori; non tamen probari poſſunt ab ea ſcientia cuius ſunt principia, ſed ſolùm à ſubalternante: omnes enim propoſitiones illius ſcientiæ ab hac hypotheſi pendent, eámque vt priorem ſupponunt, non tamen eam includunt: quia in hac ſcientia proprietates obiecti ſimpliciter enunciantur; non autem conditionaliter: vt ſi principium ſuppoſitum verum ſit, verè etiam conueniat obiecto hæc vel illa proprietas.

Quò fit vt hypotheſis hac poſteriori ratione accepta propoſitiones non reddat verè hypotheticas, hoc eſt compoſitas ex pluribus

ſimpli

ſimplicibus: nam per eam non proponuntur plures propoſitiones vt in vnam coniũctæ, ſed vt diſſolutæ, & plures, per quarum alteram conſtituitur hypotheſis: per alteram verò enunciatur aliquid, quod ab ea hypotheſi ducit originem: & ideò propoſitiones, quæ ab huiuſmodi hypotheſi pendent verè ſimplices ſunt, & cathegoricæ: atque eatenùs tantùm dici poſſunt hypotheticæ, quatenùs earum veritas non innititur rei vt eſt in ſe, ſed vt eſt conſtituta per præcedentem hypotheſim, vel vt eſt aliquid quod ab ea pendet. Totam hanc doctrinam veriſſimam (ni fallor) tradidit antiquus, idémque egregius Philoſophus Eudemus, quem refert, & ſequitur Boët. lib. 1. de ſyllogiſmo hypothetico, cap. 2. Ac per hanc doctrinam explicauimus hactenùs hypotheſim duplicis rationis, & naturæ: ſupereſt iam vt hinc aliqua colligamus ad rem noſtram accommodata.

Ex dictis ergo colligitur primò, hypotheſim in poſteriori ſenſu explicato fieri poſſe tam in rebus poſſibilibus, quàm in impoſſibilibus, & tam in iis quæ pertinent ad eſſentiam, & proprietatem rerum, quàm in iis quæ pertinent ad exiſtentiam, cùm ratio diuerſitatis nulla excogitari poſſit: quò fit vt ſupponere poſſimus, exiſtere de facto id quod aut exiſtere non poteſt, aut licèt poſſit, non tamen exiſtit. Hac ratione cùm illuminatio ſolis in præſentia ſit apud nos, ſupponere poſſumus illam actu eſſe apud Antipodas: & hac hypotheſi conſtituta intelligimus etiam ex hypotheſi colores ibi actu eſſe viſibiles, actu apud illos exiſtere calorem à ſole productum per lumen &c.

Vt enim ex hypotheſi aliqua fit aliud quidpiam ex hypotheſi poſſibile, impoſſibile, aut neceſſarium, ita etiam aliqua eſt hypotheſis, per quam fit aliquid aliud ex hypotheſi exiſtens.

Colligitur ſecundò; rem aliquam poſſe cognoſci, & de facto cognoſci etiã à nobis his omnibus modis, nimirũ, vt poſſibilẽ, vt futurã, vt actu, & realiter exiſtentẽ, ac præterea vt exiſtentem ſolum per hypotheſim; vel tanquam id quod immediatè ſupponitur eſſe; vel tãquam id quod ex hac ſuppoſitione reſultat, aut pendet. Primò enim cognoſcitur res vt poſſibilis quatenùs intelligitur per cognitionem ipſius cauſæ; atque ex cognoſcibilitate eiuſdem, quæ perfectè intelligi nequit non intellecto termino potentiæ ipſius, qui terminus eſt res poſſibilis. Secundò concipitur res vt futura, quatenùs cõcipitur vt habens aliquod eſſe in cauſa determinatum aliquo modo ad eſſe extra cauſas, vt ſuprà oſtendimus, dum explicabamus quid, & quotuplex ſit ratio futuri. Tertiò concipitur res vt actu, & realiter exiſtens quatenùs cognoſcitur non ex vi cognitionis cauſæ, ſed in ſe ipſa vt conflata ex eſſentia, & exiſtentia actu exercita in certa differentia temporis, ità vt iudicetur in tali differentia temporis actu, & ſimpliciter eſſe. Quartò cognoſcitur res vt exiſtens ſolùm ex hypotheſi tanquam id quod immediatè ſupponitur eſſe cùm intelligitur non ex vi cauſæ cognitæ; & per cognitionem ipſius, ſed apprehenditur per actum qui in ipſam immediatè feratur; eámque intelligenti repræſentet ad modum exiſtentis, & vt conflatam ex eſſentia, & exiſtentia actu exercita: abſque iudicio tamen, & affirmatione huiuſmodi exercitij: quo

modo

modo cognoſcitur illuminatio ſolis in tempore præſenti apud Antipodas quatenùs ponitur ibi eſſe, cùm tamen verè, & abſolutè non ſit: ſed ſit apud nos. Quintò denique cognoſcitur res vt ex hypotheſi exiſtens, tamquam id quod non immediatè ſupponitur eſſe, ſed habet exiſtentiam ab hypotheſi pendentem, cùm intelligitur ſimiliter per cognitionem, quæ non feratur immediatè in cauſam illius, ſed in ipſam, eámque abſque iudicio, & affirmatione repræſentet ad modum actu exiſtentis, ita tamen vt hæc exiſtentia non ponatur eſſe per illam cognitionem, per quam cognoſcitur, ſed ſit prior hac ſua cognitione, vt quid reſultans in re independenter ab immediata operatione intellectus, poſt factam hypotheſim alicuius rei antecedentis: quo modo vbi poſuerimus, illuminationem nunc actu eſſe apud Antipodas, intelligimus etiam apud illos actu eſſe calorem per lumen productum: non quod poſteriori hac cognitione ponamus eſſe hunc calorem, ſicut per aliam priorem cognitionem ſuppoſuimus eſſe illuminationem, ſed quia facta huiuſmodi hypotheſi dependenter ab ipſa verè conuenit huic obiecto, nempe calori ratio exiſtentis ex hypotheſi, ſub qua ratione propterea determinat intellectum ad ſui cognitionem: quamuis enim propter neceſſariam connexionem inter illuminationem ſolis, & calorem poſſit cognoſci in propoſito hæc vera hypothetica iuxta priorem vſurpationem hypotheſis, nimirum, ſi illuminatio eſt apud Antipodas; apud eoſdem eſt calor: in qua propoſitione abſtrahimus ab exiſtentia vtriuſque partis, & ſolùm ſignificamus connexionem inter

vtram

vtramque poſſumus tamen idem cog noſcere per duas ſimplices propoſitiones ex hypotheſi ſecundo modo ſuprà explicato accepta, ita vt per alteram ſimplicem propoſitionem conſtituamus hypotheſim, qua ponamus illuminationem actu exiſtere apud Antipodas:per alteram verò cognoſcamus calorem,vt actu ex hypotheſi exiſtentem, & per lumen à ſole productum.

Oſtendimus iam circa quæ verſari poſſit hypotheſis ſuprà ſecundo loco explicata,&quot modis res aliqua cognoſci poſſit.

Vt ergo ad rem noſtram reuertámur: ex dictis explicari poteſt noſtra concluſio: futura enim contingentia conditionata,ſeu ex hypotheſi, conſiderata,quatenùs ſunt obiectum cognitionis importatæ per veram hypotheticam iuxta primam vſurpationem hypotheſis, conſiderantur ſub formali ratione futuri vt contradiſtincta à ratione præſentis,quia in hac hypothetica, ſi hoc erit,illud erit: conſequens cognoſcitur vt abſtrahens ab exiſtentia, & actualitate cùm cognoſcatur quatenùs ex antecedenti infertur, & ratione connexionis cuiuſdam,quam cum illo habet, quæ eſt omnino prior ipſius actualitate,& exiſtentia,ſeu præſentia. Et ideò ſub hac ratione huiuſmodi futura contingentia ex hypotheſi non videntur ſubeſſe poſſe niſi coniecturali cognitioni, vt ſuprà diximus de futuris contingentibus abſolutis formaliter conſideratis quatenùs futura ſunt, & contradiſtincta à præſentibus, ac exiſtentibus.

Hæc ipſa verò contingentia ex hypotheſi futura relata ad hypotheſim ſecundo modo explicatam

tam habent rationem præſentis, & exiſtentis ex hypotheſi: & ideò certiſſimam habent rationem obiectiuam, ratione cuius ſub certiſſimam cognitionem cadant.

Dato enim per hypotheſim vt cauſa libera, quæ abſolutè, & realiter non exiſtit, actu exiſtat in certis circũſtantiis, in quibus certũ habeat obiectum ſibi cum perfecta cognitione propoſitum: pro primo quidem inſtanti rationis quod eſt inſtans actus primi, libertas ipſius intelligitur indifferens ad amplectendum illud obiectum, atq; ad illud poſitiuè, aut negatiuè per liberam ſuſpenſionem actus reiiciendum: Ex hac tamẽ ipſa hypotheſi ex natura rei ſequitur, vt in ſequenti inſtanti rationis ſit certus, & determinatus vſus libertatis eiuſdem cauſæ eligentis illud obiectum liberè aut liberè reſpuentis. Non quod ex illa hypotheſi inferatur immediatè, & determinatè volitio, aut nolitio, aut libera ſuſpenſio vtriuſq;: ſed quia cum illa hypotheſi incompoſſibile eſt, vt cauſa libera in ſecundo inſtanti rationis non ſit in actu ſecundo libero, qui tamen non poteſt eſſe niſi certus, & determinatus.

Ex vi igitur illius hypotheſis ſequitur ex natura rei, vt cauſa libera in ſecũdo inſtãti rationis debeat eſſe extra ſtatũ indeterminationis per actualem determinationẽ in actu ſecũdo, ita vt pro illo inſtanti verè debeat habere aliquem actum ſecundum, in qua propoſitione terminus ille (aliquem actũ) ſupponit ex vi hypotheſis ſuppoſitione confuſa: neque enim propter illam hypotheſim oportet vt ſit hic actus determinatè; neque oppoſitus, neque libera ſuſpenſio vtriuſque; ſed aut hæc, aut alter

ex duo

ex duobus actibus poſitiuis: Et ideò illa hypotheſis relinquit plenam indifferentiam, & libertatem, vt cauſa habeat actum illum ſecũdum quem malit: quia tamen in ipſamet actualitate rei, & actu ſecundo non poteſt eſſe cõfuſio, ſed opus eſt vt ſit determinatio; ideò pro eodem ſecundo inſtanti rationis eſt ex hypotheſi ille actus ſecundus certus, & determinatus, quem voluntas pro ſua libertate eligit, cùm potuerit alium eligere: qui actus certus, & determinatus non poteſt certò cognoſci ex vi hypotheſis per illarionem; ſed ſolùm poſt factam & cognitam hypotheſim poteſt cognoſci per propriam cognitionem, quæ immediatè in ipſum feratur vt actu exiſtentem ex hypotheſi. Et licèt nos, facta tali hypotheſi, non poſſimus poſteà ob imbecillitatẽ intellectus noſtri peruenire ad certam hanc cognitionem, quæ immediatè feratur in actum ſecundum, vt ex hypotheſi exiſtentem: ex hac tamen ratiocinatione ſcire poſſumus huiuſmodi actum ſub tali ratione habere, quantum eſt ex ſe rationem obiectiuam certiſſima cognitione cognoſcibilem, cùm videamus ex vi actualis exercitij libertatis quod eſſe debet in ſecũdo inſtanti rationis, fieri debere tranſitum, quoad illum terminum (aliquem actum) à ſuppoſitione confuſa, cum qua infertur ex vi hypotheſis, ad ſuppoſitionem determinatam manantem ab actualitate rei, eò quòd ex parte obiecti vera eſſe debeat hæc propoſitio. Cauſa libera in hoc ſecundo inſtanti rationis actu habet aliquem actum ſecundum liberum: quæ ſuppoſitio eſt determinata ſicut cùm dicimus. Eſt nunc aliquis homo actu currens: quia in re verè eſt vnus cur

currens, de quo verificari poſſet hæc propoſitio. Hic homo determinatè currit; licèt nos hanc non proferamus, quia non videmus quínam ille ſit.

Declarauimus tranſitum qui in his contingentibus ex hypotheſi futuris ſit à ſuppoſitione confuſa ad ſuppoſitionem determinatam; quod ipſum, vt clariùs reddatur, illuſtrabimus exemplo ſatis accommodato.

Similem ergo tranſitum à ſuppoſitione confuſa ad ſuppoſitionem determinatam cernere poſſumus in aliis: exempli cauſa, facta hypotheſi, vt ego immutabiliter nunc ſim determinatus ad ſcribendum, ita vt immediatè poſt verum infallibiliter futurum ſit, vt ego actu ſcribam, & adhibeam calamum: ex vi quidem huius hypotheſis verum erit me immediatè poſt vti aliquo calamo, ita tamen vt terminus ille (aliquo calamo) ſupponat confusè; neque enim vllus eſt certus calamus, qui ex vi illius hypotheſis infallibiliter adhibendus ſit: quia tamen immediatè poſt actus ſcribendi actualiter exiſtet extra cauſas: immediatè poſt verum erit me vti aliquo calamo, ita vt terminus (aliquo calamo) ſupponat determinatè, non ex vi hypotheſis, ſed ex vi actualitatis rei cum confuſione, atque indeterminatione pugnantis: ſicut enim cùm dicimus; Aliquis homo currit; eſt aliquis certus homo in re, de quo determinatè affirmari poſſit. Hic homo currit: ita in propoſito erit in re certus calamus, de quo determinatè dici poſſit. Hic calamus adhibetur; licèt alius adhiberi potuerit.

Hac ergo eadem ratione dicimus: facta hypotheſi, vt cauſa libera actu exiſtat in certis circum-

ſtantiis in quibus ſibi propoſitum ſit cum perfe-
cta cognitione obiectum ; verum omnino eſſe
debere vt in inſtanti rationis ſequenti ſit in actu
ſecundo; ita vt hic non ſit certus, & determina-
tus ex vi hypotheſis , ſed ex vi ſuæ actualitatis
tollentis in re confuſionem; ex quo patet huiuſ-
modi actum eſſe certò cognoſcibilem vt exi-
ſtentem ex illa hypotheſi. Quæ ſanè omnia faci-
liùs intelliguntur veritati conſentanea eſſe ; ſi
animaduertamus hypotheſim facere vt ex parte
obiecti gignatur ex hypotheſi quicquid à parte
rei fieret abſolutè, & realiter : ſi realiter eſſet id,
quod per hypotheſim ponitur eſſe : dum enim
ponimus aliquid eſſe, mente conſtituimus illud
in rerum natura, vt de illo agamus ac ſi verè eſ-
ſet à parte rei nullo cogitante : & ideò ab illo ea
omnia emanant, ac pendent ex hypotheſi, quæ
realiter emanarent, ac penderent, ſi realiter eſſet:
conſtituta autem realiter cauſa libera in eſſe, ita
vt in certis circumſtantiis realiter exiſtens perfe-
ctam habeat cognitionem de certo obiecto ſibi
propoſito ; hæc ipſa cauſa in poſteriori inſtanti
rationis omnino eſt in illo actu ſecundo libero
determinato , quem pro ſua libertate elegerit:
qui certò cognoſcibilis eſt vt actu , & realiter
exiſtens : Ergo ſimiliter facta conſtitutione illa
eiuſdem cauſæ per hypotheſim; ab ea in poſterio-
ri inſtanti rationis pendebit ex hypotheſi ille a-
ctus ſecundus determinatus, quem ipſa pro ſua
libertate elegerit: ac propterea poſt illam hypo-
theſim reſultabit in obiecto veritas actus ſecun-
di liberi præſentis, & exiſtentis ex hypotheſi; &
ſub hac ratione certò cognoſcibilis.

Ex his omnibus,quæ hactenus attigimus facilè iam explicabimus quo pacto Deus huiuſmodi contingentia ex hypotheſi futura certò cognoſcat ante decretum.

Ante illud enim cognoſcit ſe ipſum ſuámque eſſentiam,& creaturas omnes,ſub omni ea ratione, ſub qua ita cognoſcibiles ſunt, vt in hac cognoſcibilitate à diuino decreto non pendeant: Creaturæ autem independenter à decreto diuino cognoſcibiles ſunt; primò quidem vt poſſibiles, & contentæ in omnipotentia diuina, ex cuius penetratione, & comprehenſione attinguntur tamquam ipſius omnipotentiæ terminus,ſine quo illa comprehendi nequit. Præterea cognoſci poſſunt vt exiſtentes,non quidem realiter, & abſolutè, ſed ex hypotheſi; nam Deus præter cognitionem quam habet,exempli gratia, cauſæ liberæ creatæ vt poſſibilis ex vi penetrationis ſuæ omnipotentiæ, eamdem cauſam liberam etiam ante decretum cognoſcere poteſt cognitione, quæ immediatè feratur in ipſam, eámque attingat, non ex vi penetrationis omnipotentiæ, ſed immediatè in ſe ipſa,eam repræſentando vt conflatam ex eſſentia , & exiſtentia ad modum rei exiſtentis realiter extra cauſas; ita tamen, vt hæc diuina cognitio non æquiualeat iudicio, & affirmationi , vt res abſolutè exiſtat, ſed eminenter contineat illam ſolùm apprehenſionem rei per modum exiſtentis quam ſine abſoluto & affirmatiuo iudicio nos habemus, dum per hypotheſim ponimus eſſe actualiter rem,quam ſcimus actualiter à parte rei non eſſe : & quia huiuſmodi cognitio à nullo prorſus actu libero Dei pendet;

ideò non ſolùm eſſe poſſe, ſed etiam de facto eſſe ante decretum dicenda eſt. Neque enim vllam inuoluit imperfectionem, cùm dici nequeat cognitio falſa, quippè quæ neque formaliter, neque æquiualenter affirmet, aut neget: imò repræſentatio obiecti omni eo modo quo ex ſe repræſentabile eſt perfectionem intelligentis arguit non imperfectionem: &in propoſito ſatis etiam videtur tolli difficultas ex eo quod Deus dum cognoſcit cognitiones noſtras, & hypotheſes, quibus ponimus actu exiſtere quod verè, & realiter non exiſtit, eo ipſo cognoſcit terminum harum cognitionum, hoc eſt, res ipſas non exiſtentes per modum exiſtentium abſque affirmatione, tamen & iudicio etiam eminenter contento in diuina cognitione, vt eædem res exiſtant. Quod ſatis oſtendit huiuſmodi cognitionem cum diuina perfectione ſatis conſentire. Hac ergo cognitione in Deo ante decretum conſtituta, qua cauſa libera cognoſcatur vt exiſtens, ſeu, vt more noſtro loquamur, ponatur exiſtere actualiter in certis circumſtantiis cum certi obiecti perfecta cognitione; hoc ipſo cauſa libera ex hypotheſi exiſtit & ex hypotheſi habet omnia ea, quæ ad actualem vſum libertatis requiruntur: ex quo rurſus fit (vt ex ſuperioribus conſtat) vt in ſigno rationis poſteriori actu etiam habeat illum certum & determinatum actum ſecundum ex hypotheſi exiſtentem, quem pro ſua libertate maluerit: quæ eſt ratio obiectiua huius contingentis ex hypotheſi futuri, certiſſima cognitione ánte decretum cognoſcibilis, & reſultans in ipſo obiecto dependenter ab hypotheſi: à qua ita pendet, vt ea non conſti

conſtituta non ſit:non tamen ita vt ea conſtituta infallibiliter ſit, hæc ipſa ratio præſentis ex hypotheſi in hoc certo actu, quia poſt illam hypotheſim poterat pro cauſæ libertate fieri ex hypotheſi præſens actus oppoſitus, aut libera ſuſpenſio vtriuſque, ſicut poſt realem conſtitutionem eiuſdem cauſæ in eiſdem circumſtantiis in quibus de facto actu elicitur hic actus ſecundus potuiſſet actu elici oppoſitus, aut vterque ſuſpendi:atque hæc ſatis clara redduntur ex iis quæ ſuprà diximus de ſuppoſitione confuſa & determinata:conſtitutio ergo illa cauſæ per hypotheſim ex vi ſua ſolum gignit hanc certitudinem vt in ſigno rationis poſteriori eſſe debeat aliquis actus ſecundus liber quatenus hoc nomine continetur etiam libera ſuſpenſio actus:ſicut ſi illamet conſtitutio eiuſdem cauſæ liberæ ſit realis, pro primo ſigno rationis gignit ſolum hanc certitudinem vt in ſecundo ſigno eſſe debeat aliquis actus liber realiter,& abſolutè exiſtens, ita vt nullus determinatus actus ſit, qui infallibiliter inferatur. Et ſicut poſt huiuſmodi realem conſtitutionem cauſæ liberæ extra cauſas in illis circumſtantiis tota infallibilis certitudo euentus,quo ad hunc potiùs actum ipſius quàm illum pendet ab actuali exiſtentia huius potiùs actus quàm illius in ſecundo inſtanti naturæ pro cauſæ libertate tributa,concurrentibus circumſtantiis, ac ita allicientibus vt indifferentiam relinquerent : ita etiam poſt conſtitutam eodem modo cauſam liberam ex hypotheſi ante diuinum decretum, infallibilis certitudo qua Deus cognoſcit hunc potiùs actum eius quàm illum, vt ex

hypotheſi exiſtentem , & nobis futurum, innititur exiſtentiæ quam hic potiùs actus quàm ille pro cauſæ libertate habet ex hypotheſi: & licèt ad hanc conducant circumſtantiæ, in quibus cauſa ſupponitur eſſe, quæ ſimiliter ex hypotheſi alliciunt, illæ tamen cùm cauſam indifferentem relinquant, ineptæ ſunt ad gignendam perfectam certitudinem quæ ſolum oriri poteſt ab actuali exiſtentia, quam actus hic ſecundus liber ex hypotheſi habet, qui vt ſic eſt neceſſarius ea neceſſitate qua omne quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe. Dicimus igitur cognoſci à Deo ante ſuum decretum contingentia, de quibus agimus cognitione quæ non æquiualeat vnicæ propoſitioni noſtræ verè hypotheticæ & illatiuæ, ſed quæ æquiualeat duplici cognitioni, quarum altera ponatur cauſa libera actu exiſtere in certis circumſtantiis certo obiecto ſibi propoſito: altera verò cognoſcatur ille actus liber eiuſdem cauſæ in ſe ipſo immediatè, vt ex hypotheſi exiſtens quem libertas cauſæ in ſecundo ſigno rationis ad exiſtentiam ex hypotheſi perduxerit: ita vt non videat Deus hunc actum inferri ex illa hypotheſi: ſed videat illam hypotheſim eſſe, & in poſteriori ſigno rationis actu exiſtere actum qui pendeat quidem ab illa hypotheſi, & ab influxu omnium circumſtantiarum: ſed tamen ita pendeat vt aliis omnibus poſitis, ipſe ſolus potuerit non eſſe. In qua re intelligenda; nullam equidem video maiorem difficultatem, quàm in intelligenda viſione illa contingentium abſolutè futurorum, quam ſuprà probauimus, non modò à Thomiſtis, ſed ab aliis etiam Theologis concedendam in Deo eſſe ab æterno, dum neque effectus ipſi futuri,

neque

neque ipſorum cauſæ vllam habent eſſe reale: huiuſmodi enim viſio, vt oſtendimus, ita intelligitur eſſe in Deo vt poſt viſam ab æterno cauſam liberam in rerum natura pro tali differentia temporis exiſtentem: in poſteriori ſigno rationis huic potius actui libero quàm oppoſito conueniat pro libertate cauſæ ratio exiſtentis tali tempore, & propterea ſub hac ratione ab æterno cognoſcatur à Deo ſicut cognoſceretur, etiam ſi per impoſſibile Deus circa eundem actum nihil decerneret. Hæc autem non minorem videntur continere obſcuritatem, & difficultatem quàm ea, quæ diximus de futuris contingentibus ex hypotheſi: nam horum præuiſionem eodem planè modo explicauimus, & diſcrimen ſolum in eo eſt, quod in his exiſtentia cauſæ, & effectuum cognoſci debet, vt coniuncta eſſentiæ ipſorum ſolum ex hypotheſi: cùm tamen in futuris contingentibus abſolutis cognoſcatur, vt coniuncta abſolutè & realiter. Vel ergo neganda ſunt quæ ex omnium conſenſu tradidimus de futuris contingentibus abſolutis, vel concedenda ſunt ea etiam quæ diximus de futuris contingentibus ex hypotheſi. Fuſiùs hæc à nobis pertractata ſunt, quia in re perdifficili conandum videbatur, vt obſcuritas potiùs quàm prolixitas vitaretur.

De actibus liberis diuinis conditionaliter futuris.

Ex dictis colligitur, an, & quomodo ſcientia hæc, de qua agimus, verſetur etiam circa liberos actus diuinæ voluntatis: cùm enim in ipſis etiam ante quodcumque decretum actuale repe-

riatur obiectiua veritas præſentis ex hypotheſi, dicendi ſunt à Deo ſub ea ratione omnino præſciri; & eo modo præſciri, quo ſuprà diximus de euentibus creatis, & contingentibus ſub conditione futuris. facta enim hypotheſi, vt Deus, verbi gratia, nolit ab æterno permittere peccatum Adæ, & conſequenter vt velit efficaciter omnes homines naſci cum iuſtitia originali, indifferens quidem intelligitur pro primo ſigno rationis huius hypotheſis, vt velit eoſdem homines eſſe, qui de facto ab initio mundi vſque ad finem erunt, nec plures, nec pauciores, & præterea vt velit eſſe alios, aut ex his nonnullos tantùm, ſed in poſteriori ſigno rationis eſt propoſitio perfectiſſima totius obiecti, & inde actus liber Dei certus, & determinatus ex hypotheſi exiſtens, & approbans hanc determinatam partem, illámque reiiciens, & ideò poſt cognitam hypotheſim: alia propria viſione ratione diſtincta intuetur Deus ſuum actum liberum ex illa hypotheſi exiſtentem. Neque verò hæc præcognitio lædere poteſt diuinam libertatem, ſicut ſimilis præcognitio de actibus noſtris libertatem noſtram non lædit: quia ſcilicet hæc præſcientia non determinat libertatem, ſed ab ipſa potius (vt ita dicam) obiectiuè determinatur. Non enim actus hic liber Dei ideo eſt ex hac hypotheſi præſens, quia ſub hac ratione à Deo præſcitur, ſed ideo à Deo ſub hac ratione præſcitur, quia hanc ratione pro diuina libertate habet: & ſi oppoſitam rationem habere ſicut ex vi eiuſdem libertatis habere poſſet, ſub appoſita præſciretur.

Hic verò animaduertendum eſt, hypotheſim per quam actus liberi diuini cognoſci debeant (vt

more noſtro loquamur) conditionaliter futuri debere eſſe de re non neceſſaria: ſi enim fiat hypotheſis de tali cognitione diuina, verbi gratia, rerum poſſibilium, ſicut hæc cognitio verè & realiter eſt ab æterno, ita quicquid alioqui cognoſci poſſet ex illa hypotheſi, cognoſcetur ab æterno vt exiſtens, non ex hypotheſi, ſed verè & realiter & abſolutè. Quòd verò actus liberi diuini cognoſcantur à Deo vt futuri, ſeu præſentes ex hypotheſi non neceſſaria, colligi poſſet ex pluribus Scripturæ locis, ſatis tamen erunt in præſentia verba illa primo Reg. 13. *Quod ſi non feciſſes iam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum.* Quæ verba huiuſmodi præſcientiam actuum voluntatis diuinæ ſatis apertè teſtantur. Atque hæc pro explicatione ſecundæ concluſionis propoſitæ.

Concluſio ſecunda propoſita, & explicata probatur.

QVæ hactenus allata ſunt ad ſecundam propoſitionem explicandam videntur etiam ſatis eamdem probare, ſed tamen vt magis, ac magis confirmetur addemus nonnulla. Probatur ergo primò, quia facta hypotheſi in poſteriori illo ſenſu ſuprà explicato. Propoſitiones quæ circa ipſum euentum abſque formali incluſione hypotheſis verſantur, ſunt omnino ſimplices, & abſque vllo conditionis modo, aut ligamine, licèt ab illa hypotheſi pendeant, ideo facta hypotheſi ante omne decretum diuinum, vt cauſa libera in certis circũſtantiis exiſtens deliberet de obiecto ſibi propoſito liberè amplectendo, aut non amplectẽdo, fieri poſteà poſſunt hæ propoſitiones omnino ſimpli-

ces,ab ea tamen hypotheſi pendentes, nimirum, hæc cauſa amplectitur hoc obiectum. Hæc cauſa non amplectitur hoc obiectum. Quæ cùm ſint contradictoriæ de præſenti determinatè debent ex omniũ ſententia verum à falſo diuidere;ita vt hæc determinatè accepta ſit vera,illa autem falſa: ideo vtraque erit ſcibilis certiſſima cognitione diuina pro ſigno rationis antecedente omnem actum liberum: ac propterea in hoc ſigno videbit Deus contingentia, vt ex hypotheſi actu exiſtentia, hoc eſt,ea ratione qua nos contendimus ea videri.

Secundò probatur, quia cauſa libera vt actu,& realiter exiſtens in his circumſtantiis, nullam maiorem connexionem habet cum altero ſuorum actuũ oppoſitorũ determinatè accepto,&ſub ratione realiter exiſtentis & præſentis,quam habeat eadẽ cauſa, vt in eiſdẽ circumſtantiis exiſtens ſolum ex hypotheſi cum eodem actu, vt ex hypotheſi tantum exiſtente: realis enim exiſtentia cauſę ſuperaddita tribuit illi ſolum eſſe reale actuale:& nihil aliud addit,aut immutat. Ergo ſicut Deus vbi vidit cauſam liberam in certis circumſtantiis realiter conſtitutam, ſtatim videt actum ipſius determinatum exiſtentem, quia in poſteriori ſigno rationis,actus ille verè eſt realiter præſens: ita etiam vbi ex hypotheſi eadem cauſa in eiſdem circumſtantiis exiſtat, idem actus eius liber habebit in poſteriori inſtanti rationis actualem exiſtentiam ex hypotheſi, & ſub hac ratione certò videbitur à Deo. Et ſanè cùm ea,quæ diximus de futuris contingentibus abſolutis, eorúmque æterna viſione à nullo videantur negari, inter illa tamen, & hæc

quæ

quæ de his conditionatis dicimus nulla videtur aſſignari poſſe ratio diuerſitatis. Vt enim cauſa libera realiter exiſtens perſiſtere non poteſt indeterminata realiter in actu ſecundo circa obiectum ſibi propoſitum, & ideò poſt deliberationem opus eſt vt habeat actu in ſe exiſtentem realiter actum liberum certum, qui ſit cognoſcibilis vt præſens, ita eadem cauſa ex hypotheſi exiſtens neceſſe eſt eodem modo ex hypotheſi determinetur.

Tertiò probatur, quia, vt ſuprà oſtendimus in propoſitione quarta de futuris contingentibus abſolutis, Deus certiſſimè cognoſcit huius propoſitionis veritatem, quia Petrus conſtituetur in his circumſtantiis liberè volet loqui. In hac autem non minor eſt illatio, quàm in hac. *Si Petrus conſtituatur in his circumſtantiis liberè volet loqui.* Et ſi hæc non poteſt certò cognoſci, propterea quod libera volitio loquutionis à Petro producenda certam connexionem non habet cum exiſtentia ipſius in his circumſtantiis. Ob eandem planè rationem illa etiam certò cognoſci non poterit: vt verò illa certiſſima cognitione ſciri poteſt vt reſoluta in duas propoſitiones de præſenti, modo à nobis explicato in præcitato loco, quibus in intellectu diuino reſpondent duæ ſimpliciſſimæ apprehenſiones, & viſiones: ita etiam hæc conditionalis æquali certitudine ante decretum cognoſci poterit vt reſoluta ante illud in duas ſimiles propoſitiones de præſenti, prout ſuprà traditum eſt. Ex his omnibus ſatis probata eſt ſecunda noſtra propoſitio, ex qua veriſſima redditur minor argumenti in fine ſuperioris cap. propoſiti, in qua contingentia dicebantur non minorẽ habere veritatem

tem obiectiuam futuri conditionalis ante diuinum decretum quàm futuri abſoluti poſt illud. Reliquum ergo eſt, vt contingentia ſub hac ratione futuri ex hypotheſi certiſſima cognitione à Deo præſciantur ante quodcumque actuale decretum.

Obiectio proponitur, & diſſoluitur.

SEd contra ea, quæ diximus, obiiciat fortaſſe quiſpiam, quia vt cauſa libera creata actu ex hypotheſi operetur, non eſt ſatis vt ipſa ex hypotheſi in certis circumſtantiis exiſtat: ſed prætereà requiritur vt ſicut cùm ipſa realiter operatur, realiter adeſt decretum diuinum abſolutum, & immediatum circa liberam ipſius operationem, ita etiam cùm operatur ex hypotheſi, ex hypotheſi adſit ſimile decretum, quod tamen à nobis concedi non poteſt adeſſe: quia ex noſtra ſententia Deus nihil abſolutè decernit de actibus noſtris liberis, niſi poſt ſcientiam conditionatam. Et ideò ſi diceremus ad ſcientiam Dei conditionatam alicuius actus noſtri prærequiri hypotheſim, qua poneretur eſſe abſolutum Dei decretum circa ipſum: fatendũ etiam eſſet ante illud decretum abſolutum prærequiri aliam ſcientiam conditionatam: ac proptereà dari proceſſum in infinitum.

Reſpondeo, vt determinatus actus cauſæ liberæ creatæ ſit, aut eſſe poſſit actu ex hypotheſi exiſtens, prærequiri hypotheſim, qua cauſa libera ita conſtituta ſit in illis circumſtantiis, in quibus debet pro innata libertate operari, vt nihil ei deſit ex iis, quibus indiget ad vſum libertatis, atque ad actualem operationem: ac proinde in ea hypotheſi includi

cludi etiam vt concurſus diuinus eidem cauſæ in illis circumſtantiis præſtò ſit pro quacunque libera operatione, quam exercere voluerit. Et quia cõncurſus diuinus præſtò eſſe non poteſt, niſi per imperium diuinæ voluntatis, ideò in eadem hypotheſi includi prætereà huiuſmodi imperium, ſeu decretum. Quod ſanè non eſt præfinitio aliqua, ſeu decretum, quo Deus ex ſe ipſo abſque vllo ordine ad exigentiam libertatis creatæ ſtatuat ad hunc actum potiùs concurrere quàm ad illum: ſed eſt decretum, quo Deus adiungit quodammodo ſuam omnipotentiam cauſæ liberæ creatæ, ita vt huic aſſiſtat tamquam per libertatem diuinam diſtinctè, ac definitè determinata ad influendum in vnumquemque illorum actuum, quos voluntas humana in hoc momento cum hoc obiecto, aliiſque circumſtantiis producere poteſt. Huiuſmodi enim decretum ſatis omnino eſt, nam per illud omnipotentia diuina eſt perfectè determinata ad influendum inflente cauſa ſecunda: & ad actualem influxum omnipotentiæ nil aliud requiritur niſi actualis influxus creatus, qui tamen præuius non ſit; ſed concomitans. Nam ſicut in cauſis naturalibus & neceſſariis, cauſa efficiens totalis eſt determinata vt influat, ſi influat cauſa materialis, finalis &c. Et ex pluribus cauſis partialibus eiuſdem generis vna eſt determinata ad influendum in effectum communem, ſi alia influat: & tamen concurſus omnium huiuſmodi cauſarum debet eſſe omninò ſimultaneus: ita etiam licet omnipotentia diuina per imperium diuinæ voluntatis determinata ſit ad influendum in hunc actum voluntatis creatæ, ſi ipſa ſuo creato concurſu eum eliciat,

ciat,& ad influẽdum in alium, ſi alium eadem voluntas producere malit: omnis támen creatus influxus nullo modo antecedere, ſed ſimul omnino eſſe debet cum actuali concurſu omnipotentiæ diuinę. Per illud ergo decretum iam explicatum omnipotentia diuina ita aſſiſtit voluntati creatæ, vt eam reddat perfectè conſtitutam in actu primo ad ſe pro ſua libertate determinandam ad quamcumque partem maluerit, non ſecus ac ſi nullo Dei adiutorio indigeret; ſed ab ipſa tantum pendere deberet omnis influxus ad effectum neceſſarius: & ideò hoc ſolum decretum prærequiritur in propoſito vt ex hypotheſi exiſtens, non verò decretum abſolutum. Nam licet cum hic actus liber realiter elicitur decretum diuinum de concurrendo ad alios qui de facto non eliciuntur, ſit conditionatum: circa hunc autem, qui de facto elicitur, ſit abſolutum, eò quòd ante hoc decretum iam nouerit Deus hîc & nunc à libertate creata exigi concurſum ad hunc determinatum actum. Hinc tamen non ſequitur, vt decretum omnino ſimile pręexiſtere debeat ex hypotheſi, vt idem aut ſimilis actus ex hypotheſi producatur, atq; ex hypotheſi exiſtat: nam ante ſcientiam conditionatã, atque ante hypotheſim, à qua pendet obiectum ipſius, non poteſt eſſe cognitio ratione cuius decretum diuinum circa hunc actum ſit abſolutum: & licèt videantur eadem prærequiri vt præexiſtentia ex hypotheſi, ad hoc vt effectus ex hypotheſi producatur, & ex hypotheſi actu exiſtat: quæ prærequiruntur realiter, vt idem effectus realiter ſequatur: id tamen verum eſt de iis, quæ augent, & minuunt vires in actu primo (præſertim ſi talia ſint,
vt

vt ipſis ſublatis , non ſuperſit principium effectus adæquatum) non verò de iis,quæ abſque vlla immutatione virium in actu primo pertinent ſolum ad certum quemdam modum operationis,In propoſito autem voluntas creata cum eiſdem planè viribus tum intrinſecis, tum extrinſecis ſibi adiunctis,ac aſſiſtentibus , & cum eadem indifferentia, & libertate eſt conſtituta in actu primo , dum habet omnipotentiam diuinam ſibi aſſiſtentem , & determinatam ad concurrendum ad quemcumque actum ipſa ſe determinauerit ; ſiue decretum per quod omnipotentia eſt determinata , ſit abſolutum ratione cognitionis præcedentis in ordine ad hunc actum modo ſuprà explicato,ſiue non : & ideò variatio hæc in decreto præexiſtente ex hypotheſi ; dum effectus ex hypotheſi ſequitur, & decreto exiſtente realiter, dum effectus ſequitur realiter,nihil refert.

Atque ex his omnibus ſatis iam conſtare arbitror,ea omnia , quæ contra hanc noſtram ſententiam ſuprà attulimus, facilè ſolui ; quamuis enim vrgeant fortaſſe ſi propoſitio conditionalis de futuro contingenti contendatur certò cognoſci à Deo ante decretum tamquam propoſitio coniunctione quadam, atque illatione verè vna , & tamquam vera hypothetica de conditionali futuro ſub formali ratione futuri : ſi tamen eadem ſcientia intelligatur ſolũ conſiſtere in duplici appreheſione,& ſimpliciſſima viſione modo à nobis explicato,nullã omnino videntur habere vim.Quod vt planiùs fiat,ad omnia argumenta nobis aduerſaria ſigillatim reſpõdebimus,& doctrinã traditã magis ac magis in ipſis reſpõſionib. explicare conabimur.

CAPVT VII.

Soluuntur argumenta propoſita cap. 2. pro prima ſententia, quæ S.Thomæ authoritate innitebantur, & omnia contra Aduerſarios retorquentur.

QVæ contra noſtram ſententiam de præſcientia diuina contingentium ſub conditione futurorum ante decretum allata ſunt cap.2.ex auctoritate S.Thomæ, non modò facilè ſoluuntur ex his quæ attulimus in huius ſententiæ explanationem,ſed omnia etiam ita retorquentur contra aduerſarios, vt per ea mirum in modum opinio noſtra confirmetur.

Ad primum igitur reſpondeo, veriſſimam eſſe illam maiorem. Vt,ſcilicet,in ſententia S.Thomæ nulla alia ratione Deus certò præſciat futura contingentia abſoluta,niſi quatenus ab æterno illa intuetur vt exiſtentia in certa differentia temporis extra cauſas, & præſentia æternitati. Hanc enim propoſitionem omnino demonſtrant teſtimonia allata S.Thomæ, Antiquiorum Thomiſtarum,& aliorum ſcholaſticorum. Nego autem minorem, in qua dicebatur,hæc eadem propoſitio falſa eſſe; ſi Deo inſit certa ſcientia contingentium ſub conditione futurorum ante omnem actum liberum: quamuis enim probationes huius minoris, quę ſubduntur,vehementer vrgere videantur: ſi propoſitio conditionalis dicatur certa,& certò cognita à Deo ante decretum, vt illatio quædam, & vera

vera hypothetica de futuro ſub formali ratione futuri, ſi tamen eadem propoſitio dicatur certò præcognita à Deo ante omnem ſuum actum liberum ſolum quatenus reſoluta in duas propoſitiones de præſenti modo à nobis explicato cap. ſuperiori, tota vis corruit. Ex eo enim quod Deus in inſtanti illo rationis antecedente vſum diuinæ libertatis, vbi per hypotheſim viderit cauſam liberam in certis circumſtantiis exiſtentem, & neceſſario Dei adiutorio non deſtituram; intelligatur indifferens ad cognoſcendum hunc aut illum eiuſdem cauſæ effectum, donec ex eiuſdem cauſæ libertate hic ſit ex hypotheſi exiſtens actualiter extra cauſas, & non ille, & hac exiſtentia in priori rationis conſtituta videat hunc determinatum actum liberum, vt ex hypotheſi exiſtentem: ſolùm inferri poteſt vt vbi viderit eamdem cauſam in eiſdem circumſtantiis non per hypotheſim, ſed realiter, & actualiter exiſtentem addito diuino decreto actuali, nullam tribuente determinationem in actu primo, ſed ſtatuente concurſum ſuum, iuxta exigentiam libertatis huius ipſius cauſæ: ſolùm (inquam) inferri poteſt; futurum eſſe vt Deus videat etiam determinatũ eiuſdem cauſæ actum, nõ amplius per hypotheſim, ſed realiter, & actualiter pro ſua differentia temporis exiſtentem, qui eſt ille vnicus modus certò præſciendi futura contingentia abſoluta, quem S. Thom. Deo tribuit, quémque nos etiam à S. Thom. ne latum quidem vnguem recedentes admittimus; omni alio excluſo.

Hinc verò argumentum hoc quatenus nobis aduerſari videbatur iam ſolutum, egregiè contra

Aduerſarios retorquetur. Ipſi enim dicunt, Deum circa ſingularia futura contingentia, verbi gratia, circa pœnitentiam Tyriorum, & Sidoniorum habuiſſe liberum decretum conditionatum, vt illa pœnitentia eſſet ex efficacia phyſicæ prædeterminationis (ſub eadem conditione conferendæ) ſi apud eos fierent miracula; atque ex vi huius decreti ſciuiſſe certò & infallibiliter futurum, vt Tyrij & Sidonij in cinere & cilicio pœnitentiam agerent, ſi apud eos fierent virtutes. Hæc verò ſcientia ſine dubio non eſt ipſius pœnitentiæ vt vllo modo præſentis, ſed vt futuræ; quatenùs ratio futuri à ratione præſentis contradiſtinguitur: fertur enim in huiuſmodi pœnitentiam vt contentam in diuino decreto, & voluntate creata phyſicè prædeterminata tamquam in cauſis. Rurſus in hac ſcientia hoc modo explicata propoſitio conditionalis de futuro contingenti accipitur, vt vera hypothetica, & illatio & conſequentia.

His autem ita conſtitutis primum illud argumentum cap. 2. propoſitum cum ſuis confirmationibus totum vrget contra Aduerſarios. Si enim Deus ex vi decreti conditionati ſciuit hanc propoſitionem conditionalem, ſi Petrus conſtitueretur in his circumſtantiis, vellet, eo ipſo quod ſcit illum eſſe in his circumſtantiis; abſtrahendo à reali exiſtentia volitionis ipſius; certò ſcit ipſum abſolutè voliturum, vt videtur demonſtrari poſſe ex iis quæ cap. illo 2. ſubiecimus. Hoc autem loco animaduertendum eſt modum hunc certò cognoſcendi futura contingentia abſoluta, quem ex Aduerſariorum ſententia inferimus, non eſſe illum, quem ipſi admittere ſolent, dicentes huiuſmodi

iuſmodi futura certò cognoſci à Deo vel in ſuo abſoluto decreto, vt hic certus noſtræ voluntatis actus ſit ex efficacia phyſicæ prædeterminationis: vel in ipſa cauſa ſecunda phyſicè prædeterminata:abſtrahendo enim tum ab illo decreto,tum ab actuali cauſæ prædeterminatione in eo ſigno rationis, in quo videt Deus ſuum decretum de Petro in illis circumſtantiis conſtituendo, vel ipſum Petrum vt in illis conſtitutum eo ipſo ſcit,veram eſſe maiorem, & minorem argumenti in bona forma conſtituti inferentis Petri volitionem, vt abſolutè futurã: & propterea in illo eodem ſigno abſtrahendo à quocumque alio illa volitio eſt cognoſcibilis vt abſolutè futura, atque vt talis pro eodem ſigno certò cognoſci debet à Deo præſcindendo à quacumque alia re, vt conſtare poteſt ex iis quæ fuſiùs explicauimus citato cap. 2. Atque hæc omnia confirmari etiam poſſunt ex eo quod ſubdemus in reſponſione ad 2.argumẽtum eodem cap.2.propoſitum. Interim illud animaduerſione dignum eſt:Aduerſarios non modò non excludere cum S. Thom. quemcumque aliũ modum certò cognoſcendi futura contingentia abſoluta; excepta viſione quæ ab æterno in ea fertur, vt in certa differentia temporis exiſtentia extra cauſas:ſed præter hunc modum non vnum tantummodò, ſed alios complures inuehere.

Ad ſecundum argumentum eodem cap.2.propoſitum reſpondeo ex cap. ſuperiori, & ex proxima reſponſione ad primum conſtare, non admitti à nobis ſcientiam contingentium ſub conditione futurorum ante decretum in eo ſenſu,vt ſit conditionalis quædam illatio effectus ſub ratione

futuri: ac proinde non poteſt in noſtra ſententia ex propoſitione conditionali, tamquam ex maiori, quæ ſit vera hypothetica confici Syllogiſmus, qui ſtatim, atque per purificationem conditionum veram minorem contineat, inferat effectum liberum ſub ratione futuri abſoluti. Dicimus enim notitiam ante quodcumque decretum in Deo exiſtentem de futuris contingentibus conditionatis ita ſe habere, vt ſit apprehenſio cauſæ liberæ vt ex hypotheſi exiſtentis in certis circumſtantiis vna cum omnipotentia diuina ex diuino decreto aſſiſtente ad præſtandum illum concurſum quem libertas eiuſdem cauſæ exegerit. Ex hac verò conſtitutione cauſæ oriri dicimus, vt poſtea pro ſua libertate ſe ipſam determinet ex hypotheſi in certo actu ſecundo, qui à Deo, vt ex hypotheſi exiſtens cognoſcatur. Quò fit vt huiuſmodi cognitio non ſit inſtar propoſitionis vnius conditionalis de conditionato formaliter futuro; quòd purificata conditione tranſeat ad eſſe futuri abſoluti, quatenùs futurum à præſenti diſtinguitur; ſed ſit duplex quædam apprehenſio rerum ex hypotheſi exiſtentium, & præſentium. Hoc autem poſito nulla ratione inferri poteſt huiuſmodi euentum contingentem cognoſci vt abſolutè futurum ante immediatum decretum circa ipſum, quia ſicut anteà non fuit cognitum vt formaliter futurum ſub conditione, ſed ſolùm vt ex hypotheſi præſens, & actuale, ita nec poſteà cognoſci poteſt, niſi vt abſolutè & realiter præſens; ſub qua ratione poſita etiam noſtra ſententia de ſcientia illa ex hypotheſi, antecedente decretũ, non poteſt cognoſci, niſi poſterius ratione quã Deus liberum, & imme

& immediatum decretum habuerit circa ipſum. Nam vt res tranſeat ad realem præſentiam, vel exiſtẽtiam debet realiter eſſe totum id, quod antea poſitum fuerat eſſe per quãdam hypotheſim; hæc autem hypotheſis non continebat ſolùm vt cauſa libera in certis circumſtantiis exiſteret, ſed prætereà vt ex diuino decreto in promptu haberet adiutorium diuinum ſibi neceſſariũ ad vſum libertatis. Quare opus eſt vt non ſolùm cauſa libera realiter in illis circumſtantiis exiſtat, ſed etiã vt velit Deus cum illa concurrere; qui cùm ex ſcientia illa ex hypotheſi cognitam habuerit ante decretum exigentiam huius cauſæ liberæ, niſi velit miraculosè ſubtrahere concurſum ſuũ; ſtatuit cum ea iuxta ipſius exigentiam ad hunc determinatum actum concurrere, quem præuiderat in alio ſigno rationis vt ex hypotheſi exiſtentem; paratus etiam ex ſe concurrere ad alios ſi cauſa exigeret: atq; hinc poſtea pro innata cauſæ creatæ libertate hic determinatus actus ſortitur rationẽ realiter exiſtentis & præſentis, & ſub hac ratione à Deo videtur ab æterno in noſtra ſentẽtia, nõ ante, ſed poſt ſuum decretum immediatum circa ipſum. Quare ſecundum illud argumentũ contra nos nihil valet: valet tamen contra Aduerſarios. Quãuis enim ipſi profiteantur futura contingentia abſoluta ante abſolutum, atque immediatum Dei decretũ cognoſci à Deo non poſſe in ſententia S. Thomæ, ac vera Theologia. Tamen in hanc ipſam ſententiam quam meritò putant S. Thomæ aduerſari, volentes nolẽtes incidere videntur: cùm enim putent Deum habere, exempli cauſa, hoc decretũ conditionatũ, ſi conſtituerem

Petrum in his circumſtantiis, vellem illum phyſicè prędeterminare ad hanc liberam volitionem, ita vt ex vi ſolum huiuſmodi decreti cognoſci poſſit à Deo libera illa volitio, vt conditionaliter futura: ſanè hoc ipſo quod Deus decernit Petrum in his circumſtantiis conſtituere, & conſequenter hoc decretum videt, & videt Petrum in illis conſtitutum; in eodem decreto antequàm actu & abſolutè decernat Petrum phyſicè ad illam volitionem prædeterminare, videt ſe abſolutè voliturum eumdem Petrum efficaciter prædeterminare ad eamdem volitionem, & conſequenter certò ſcit volitionem illam futuram priùs ratione quàm abſolutum habeat decretum immedìatum circa ipſam.

Ad tertium reſpondeo clariſſimam & veriſſimam eſſe illam S. Thomæ ſententiam, vt futurum contingens ſub ratione futuri per nullam certam cognitionem cognoſci poſſit; ſatis tamen ſuprà explicauimus quomodo contingentia quæ dicuntur ſub conditione futura ſciantur à Deo ante decretum certiſſima cognitione, quæ in ea feratur, non quatenùs in cauſa ſunt & ſunt futura, ſed quatenùs extra cauſas exiſtunt ex hypotheſi. Retorquetur tamen hoc etiam argumentum cōtra Aduerſarios, qui, vt ſuprà in reſponſione ad primum oſtendimus, verè putant huiuſmodi contingentia conditionaliter futura à Deo cognoſci, non quatenùs exiſtentia vllo modo in ſe, ſed quatenùs ſunt in cauſa, & ſunt formaliter futura. Ex quibus omnibus conſtat, tria illa argumenta fusè confirmata cap. 2. contra noſtram quidem ſententiam nullius eſſe momenti, ſed potiùs illam magis,

gis,ac magis confirmare,cùm oſtendant certitudinem huiuſmodi conditionatæ ſcientiæ, quæ decreto conditionato nitatur S. Thomæ ſententiæ omnino aduerſari.

CAPVT VIII.

Satisfit rationibus cap.3.propoſitis pro prima ſententia.

QVa facilitate ſoluimus argumenta eruta ex doctrina S. Thomæ, eadem etiam ſoluemus rationes Theologicas, quæ allatæ ſunt cap.3.

Ad primam igitur reſpondeo, illam,(vt etiam alias omnes) habere vim contra eos, qui dicunt contingens ex hypotheſi futurum certò à Deo cognoſci ante decretum, vt formaliter futurum, & per quandam illationem ex conditionibus, ita vt vnica cognitione cognoſcatur antecedens, & ex eo inferatur conſequens. Contra nos autem nullam habere vim: dicimus enim facta hypotheſi ante diuinum decretum, vt Petrus,& Paulus corpore,& animo eodem planè modo affecti in actu primo actualiter exiſtant in eiſdem circumſtantiis,& Deus cum vtroque iuxta cuiuſque exigentiam paratus ſit concurrere, & vtrique propoſita ſit per intellectum ambulatio. Dicimus(inquam) pro primo inſtanti rationis, in quo fit hypotheſis nullam in his obiectis eſſe diuerſitatem; & ideo pro illo primo inſtanti, nullam eſſe diuerſam cognitionem; ſed ſolùm cognoſci vtrumque vt ex hypotheſi exiſtentem in illis circumſtantiis & in-

differentem ad producendam & non producendam volitionem ambulationis. Quia tamen poſito quòd ita exiſtant neceſſe eſt vt in poſteriori ſigno rationis deliberationem claudant circa ambulationem per actum ſecundum determinatum, ideò in hoc poſteriori ſigno alter ex illa hypotheſi actualiter vult pro ſua libertate ambulationem; alter pro ſua libertate illam non vult, atque hæc eſt diuerſitas, quæ oritur in illis obiectis ratione cuius poſtulant diuerſam cognitionem, non ob diuerſam connexionem harum volitionum cum ſuis principiis antequàm exiſtant, ſed ob diuerſam, & liberam harum cauſarum determinationem in-actu ſecundo ex hypotheſi exiſtentem. Quare licet pro primo inſtanti rationis,in quo fit hypotheſis nihil in re aſſignari poſſit, niſi Petrus, & Paulus ex hypotheſi exiſtentes hæ circumſtantiæ; & volitio in vtriuſque voluntate contenta,vt in cauſa indifferenti, tamen pro alio inſtanti rationis poſteriori:eſt præterea volitio vnius ex hypotheſi exiſtens,& nolitio alterius eodem modo exiſtens. Neque hîc quærenda eſt formalis ratio futuri,quia ex eo quòd huiuſmodi ratio certò cognoſcibilis reperiri nequeat in rebus contingentibus,ideò dicimus eas non cognoſci à Deo infallibili cognitione, niſi quatenùs præſentes, & exiſtentes ſunt aut abſolutè, aut ex hypotheſi.

Ad ſecundam rationem reſpondeo, ſatis explicatam eſſe à nobis determinatam & conſtantem rationem quam habent futura contingentia conditionata,quatenus à nobis dicuntur ſub certam Dei cognitionem cadere: ratio enim exiſtentis ex hypotheſi eſt ratio certa, & inuariabilis,vt

lis, vt potè neceſſaria ea neceſſitate, qua omne quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe.

Ad tertiam reſpondeo, nos non debere quidquam oſtendere in re contingenti quod illis tribuat formalem rationem futuri etiam conditionalis contradiſtinctam ab omni ratione præſentis, & certò cognoſcibilem: huiuſmodi enim futuri rationem putamus inueniri non poſſe in re vlla contingenti. Quod ſatis etiam probat hæc tertia ratio: ſatis ergo nobis eſt oſtendiſſe in contingenti ex hypotheſi futuro certiſſimam aliam rationem obiectiuam; actualem, ſcilicet, exiſtentiam ex hypotheſi.

Ad quartam reſpondeo, mutationem illam obiectorum, de qua fit mentio, verè (vt opinor) explicari non poſſe, ſi dicatur ibi eſſe tranſitus, à ratione poſſibilis ad rationem conditionati futuri formaliter accepti, vt contradiſtinguitur à præſenti, quatenùs tamen ex noſtra ſententia debet ſolum eſſe tranſitus à ratione poſſibilis ad rationem exiſtentis ex hypotheſi; mutationem hanc optimè explicari patet, tum ex cap. 6. tum ex reſponſione ad primam rationem ſuprà hoc ipſo cap. Quamuis enim in ſigno rationis antecedente quodcumque decretum diuinum, nullus eſſe poſſit actus creatus realiter, atque abſolutè exiſtens, poteſt tamen omnino eſſe exiſtens ſolùm ex hypotheſi modo à nobis explicato. Et per hæc patet etiam reſponſio ad confirmationem huius quartæ rationi adiunctam.

Ad quintam reſpondeo, eam ſatis vrgere contra eos, qui putent futuro hæc conditionata certò cognoſci à Deo ante decretum ſub ratione fu-

turi; contra noſtram verò ſententiam omni prorſus robore carere. Vt enim poſt realem conſtitutionem cauſæ liberæ in ſuo eſſe actuali, & in certis circumſtantiis aduenire debet neceſſitas ex ſuppoſitione conſequenti, quæ fundetur in actuali exiſtentia determinati actus eiuſdem cauſæ, & oriatur à libero eiuſdem cauſæ concurſu; vt certum huius liberæ cauſæ actum certò Deus præuidere poſſit, vt abſolutè futurum nobis: ſibi verò, ſuæque æternitati præſentem. Ita etiam dicimus poſt factam hypotheſim, vt cauſa libera actu in certis circumſtantiis exiſtat non anteà præſciri à Deo certum ipſius effectum quàm interceſſerit ex hypotheſi certus concurſus pro libertate eiuſdem cauſæ tribuens certo actui exiſtentiam ex hypotheſi, & neceſſitatem ex ſuppoſitione conſequenti, ratione cuius videri poſſit vt ex hypotheſi exiſtens extra cauſas.

Ad ſextam reſpondeo, per eam optimè probari, futura contingentia conditionata non poſſe certò cognoſci in cauſa, & ſub formali ratione futuri. Nos tamen ſatis explicauimus quomodo ante quodcumque ſuum decretum Deus certò cognoſcat contingentia, non quidem in cauſa, quatenus ſunt ens in potentia & formaliter futura, ſed in ſe ipſis, quatenùs ſunt ens actu ex hypotheſi, atque ex hypotheſi exiſtunt.

Ad ſeptimam reſpondeo inter cauſam liberam actu, & abſolutè exiſtentem in quibuſuis conditionibus, & certum eiuſdem cauſæ actum nōdum abſolutè & realiter exiſtentem, nullam eſſe connexionem, ratione cuius infallibili cognitione, cognoſci poſſit hic actus, vt abſolutè futurus. At-

que

que eadem ratione inter cauſam liberam ex hypotheſi in certis circumſtantiis conſtitutam; & certum ipſius actum ex hypotheſi nondum exiſtentem; nullam eſſe connexionem, ratione cuius certa, ac infallibili cognitione cognoſci poſſit, vt formaliter futurus ex hypotheſi. Atque hac de cauſa dicimus huiuſmodi actus liberos à Deo ante decretum non cognoſci certò, niſi quatenùs videntur, vt ex hypotheſi exiſtentes.

CAPVT IX.

De Argumentis pro prima ſententia allatis capite quarto.

Capite quarto ea oppugnauimus, quæ ad noſtram ſententiam explicandam, & confirmandam allata ſunt à doctiſſimis illis viris, quos in hac quæſtione ſequimur tamquam optimos Duces: ſed quia ita nobis eadem cum illis opinio communis eſt, vt modus eam explicandi non ſit omninò idem, vt ex ſuperioribus capitibus conſtare poteſt. Ideò ea quæ loco citato attulimus, quippe quæ non tam ad rem ipſam, quàm ad eius explicationem ſpectent, nullatenùs nobis aduerſari videntur: quamobrem non erit, cur in eorum ſolutione laboremus.

CAPVT X.

Alia nonnulla Argumenta ab aliis allata proponuntur contra ſecundam ſententiam ab Auctore probatam.

Reiectis iis quæ contra noſtram ſententiam nobis negotium aliquod faceſſere videbantur:

tur:ſupereſt,vt, ſicut initio huius opuſculi polliciti ſumus;proponamus,ac diluamus ea,quæ aduerſus eandem ſententiam addunt alij. Obiici ergo poteſt ex ipſorum doctrina.

Primò,quia S. Auguſt. de Prædeſt. Sanctorum, cap. 14. explicans illud Sap.4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius*, ait, id dictum eſſe ſecundùm pericula vitę huius,non ſecundùm præſcientiam Dei,quia hoc Deus præſciuit, quod futurum erat,non quod futurum non erat, & lib.primo de ani.& eius orig.cap.12. *Quid* (inquit) *quod ipſa exinanitur omnino præſcientia.ſi quod præſcitur, non erit? quomodo enim rectè dicitur præſciri futurum quod non eſt futurum*? Ex quibus videtur conſtare, non eſſe in ſententia S. Auguſt.cognoſcibile ante diuinum decretum,quid feciſſet quiſpiam ſi diutiùs vixiſſet, & vniuerſaliter quidnam eſſet ex rebus contingentibus ac liberis futurum, ſi ponerentur hæ vel illæ conditiones, quæ phyſicam vllam prædeterminationem non includant.

Secundò, quia Maſſilienſes, vt patet ex epiſt. Hylarij ad Auguſt. & alij hæretici huic ſententiæ conditionatorum nitebantur tamquam fundamento ſui erroris.Neque valet, ſi dicas nō proptereà negandam eſſe à Catholicis huiuſmodi ſcientiam, quia hæretici ea abuſi ſunt, ſicut non eſt neganda ſacra Scriptura, quamuis ea hæretici omnes ad ſuos errores confirmandos abutantur. Admiſſa enim huiuſmodi ſcientia in ſigno rationis antecedente liberum decretum Dei, videtur vitari non poſſe, quin ex parte prædeterminati detur cauſa, vel ratio aliqua prædeterminationis, aut ſaltem conditio, ſine qua ratio ordinis mediorum in fi-

nem

nem ſupernaturalem, quibus Deus huic, vel illi opitulari ſtatuit, non ſortiatur rationem Prædeſtinationis, ſed retineat ſolummodò rationem communis Prouidentiæ ſupernaturalis.

Tertiò, quia S. Thom. p. p. q. 14. ar. 9. 3. p. q. 10. ar. 2. ad 2. & art. 3 in fine corp. & q. 13. art. 1. ad 2. & aliis pluribus in locis, ſcientiam diuinam generatim, & vniuersè acceptam diuidit in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis; ergo nullam agnoſcit ſcientiam mediam inter vtramque, quæ in contingentia feratur ante diuinum decretum, vt ſub conditione futura.

Confirmari poteſt, quia à cauſa indiffereti, quatenus indifferens eſt, non exit actus certus & determinatus ex S. Thom. p. p. q. 19. art. 3. ad 5. ergo cùm ante decretum diuinum creata voluntas in quibuſuis circumſtantiis conſtituta ſit omnino indifferens ad oppoſita, non poteſt ante idem decretum certum eſſe infallibili certitudine, quem actum eadem voluntas productura ſit.

Quartò, quia ſcientia hæc conditionatorum fruſtra conſtituitur ante decretum diuinum ad conciliandam libertatem arbitrij cum infallibilitate diuinæ Prouidentiæ, & Prædeſtinationis, ac efficacia auxiliorum gratiæ: ſublata enim ab eo inſtanti rationis huiuſmodi ſcientia, ſatis explicatur, quo facto hæc inter ſe cohæreant, & ea ſcientia in inſtanti illo antecedente diuinum decretum conſtituta ſequi videtur, vt vſus liberi arbitrij tandem referendus ſit in conſtellationem aliquam vel conſtitutionem indiuidualem, aut proprietatem huius liberi arbitrij, quæ non ſit in poteſtate hominis, ratione cuius vocatio in his circumſtantijs

ita ſit congrua & accommodata, vt ſi per illam moueatur voluntas, infallibiliter ſit præſtatura conſenſum. Cùm enim voluntas tum ſecundùm ſe conſiderata, tum etiam cum quibuſuis circumſtantiis indifferens ſit ad oppoſita, nec ante diuinum decretum oriri poſſit determinatio, & certitudo, aut à voluntate diuina, aut ab efficacia auxilij phyſicè prædeterminantis ſub certis conditionibus conferendi: quod ab aſſertoribus huius ſententiæ ante decretum omnino negatur: ea ſolùm radix, quam diximus certitudinis videtur ſupereſſe; cùm præſertim nullum obiectum efficaciter moueat voluntatem hominis viatoris quantùm ad exercitium actus, & præterea de hac certitudine conditionati futuri difficultas ſit in primo etiam actu libero voluntatis creatæ, vt propterea dici non poſſit certitudo pendere ab actu eiuſdem voluntatis priori.

Quintò, quia ſicut ſe habet decretum Dei abſolutum ad futurum abſolutum, ita ſe habet decretum Dei conditionatum ad futurum conditionaliter, ſed nihil eſſe poteſt abſolutè futurum, niſi per Dei decretum abſolutum exiſtens tamquam præcipua cauſa in priori naturæ, ergo nihil eſſe poteſt conditionaliter futurum, niſi per diuinum decretum conditionatum; ac propterea tantum abeſt vt ratio futuri ſub conditione eſſe, & cognoſci poſſit ante quodcumque decretum vt ipſa ex natura ſua exigat, vt decretum conditionatum exiſtat in aliquo ſigno priori.

Alia omnia argumenta ab aliis allata quæ ad hanc noſtram quæſtionem pertineant ſatis videntur tacta, & ſoluta in ſuperioribus. Aliquas verò confir

confirmationes, quæ potiùs pertinere videntur ad quæſtionem, de concurſu Dei, atque de efficacia gratiæ libens omitto, ne propoſitæ quæſtionis cancellos egrediar, cùm præſertim illa omnia, & alia permulta optimè videantur à Suarez, & aliis reiectas ſuis in locis. Quare ea ſolùm quæ propoſuimus diluenda ſunt, vt toti diſputationi finem imponamus.

CAPVT XI.

Argumenta proximo cap. propoſita diluuntur.

EX his quæ fusè in ſuperioribus pertractata ſunt facilè conſtat (ni fallor) argumenta, quæ ex aliis addidimus, atque alia quæcumque nullo negotio ſolui poſſe.

Ad primum igitur reſpondeo, præſcientiæ nomen aliquando ita accipi, vt importet anteceſſionem ſcientiæ comparatione obiecti ordine durationis, quæ anteceſſio ſolùm eſſe poteſt, cùm obiectum in poſteriori aliqua duratione exiſtit. Patet ex S. Damaſceno lib. contra Manich. non longè à fine, vbi, *Aliud* (inquit) *in Deo eſt cognitio, aliud prænotio: cognitio enim eſt ea, quæ ſunt, aut fiunt ſcire: prænotio autem ea, quæ futura ſunt antequàm prodeant noſſe.* Eadem etiam ratione ſcientiam à præſcientia diſtinguit. Vgo de S. Victore lib. 1. de Sacramētis, 2. p. cap. 16. Quibus conſentire videtur Magiſter in 1. d. 35. §. ad hoc. Aliquando verò præſcientia accipitur ita, vt particula, præ, ſignificet exiſtentiam ſcientiæ in inſtanti rationis antecedente diuinum

decretum: qua ſcientia cognoſcatur aliquid de effectibus cauſæ creatæ liberæ, priùs ratione quàm ipſa exiſtat, aut ſit abſolutè futura. In quo tantùm ſenſu intelligi poteſt doctrina S. Auguſt. de bon. perſeu. cap. 11. & S. Thom. 3. p. q. 2. ar. 5. ad 2. qui docent, præuidiſſe, & præſciſſe Deum, aliquos credituros, ſi apud eos fierent miracula, qui tamen abſolutè numquam erant credituri, quia Deus illis noluit ſubuenire per oſtenſionem miraculorum. His poſitis facilè conſtat Auguſtinum locis in argumento citatis intelligendum eſſe de præſcientia prima dumtaxat ratione accepta, ne alioqui ſecum ipſe pugnet. Et ſanè cum illis locis ageret de præſcientia ratione cuius præmio, aut pœna homines ab æterno decernantur afficiendi, iure potuit præſcientiæ nomen in eo ſenſu vſurpare, vt ſit notitia eorum quæ futura ſunt antequàm prodeant: cùm hæc tantummodò præſcientia locum habeat in iudicio diuino. Quod ſi S. Aug. ex eo quod res abſolutè futura non ſit, negaret ſimpliciter illam præſciri à Deo quacumque ratione, non ſolùm negaret certam ſcientiam contingentium ſub conditione futurorum ante decretum diuinum, ſed abſolutè negaret pro quocumque ſigno rationis omnem planè cognitionem certam futurorum conditionalium, ſiue contingentia ſint, ſiue etiam neceſſaria, dummodò tamen numquam ſint abſolutè futura. Hæc dici poteſt Aug. negare Deo præſcientiam ante omne decretum, qua præſciat peccata illius qui raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius: eò quòd ante decretum hæc peccata non ſint conditionaliter futura: Auguſtinus enim non negat (vt ex ipſius contextu patet) hæc

peccata à Deo præſciri ante decretum, ſed negat ſimpliciter præſciri: neque hoc negat quia non ſint conditionaliter futura; nam oppoſitum non modò aliis in locis cap. 5. citatis, ſed in illis ipſis qui in argumento afferuntur ſatis expreſsè tradit: ea ergo peccata ideò ſolùm præſciri negat, quia non ſunt abſolutè futura, vt oſtendunt illa præſertim verba, quæ habentur de Prædeſtinatione Sanctorum capite decimo quarto cit. hoc eſt, *Quia hoc præſciuit, quod futurum erat, non quod futurum non erat, id eſt, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, vt tentationem ſubtraheretur incerto; non quod peccaturus eſſet, qui manſurus in tentatione non eſſet.* Ex his enim clariſſimum eſt agi de abſolutè futuris; & peccata negari futura non ſub conditione longioris vitæ, ſed abſolutè. Mors enim immatura quam dicitur Deus fuiſſe largiturus, abſolutè futura erat; quod etiam ille, de quo eſt ſermo, in tentatione manſurus non eſſet, verum eſt abſolutè quidem; non tamen ſi intelligatur ſub conditione longioris vitæ, ſub qua etiam conditione falſum eſt, ipſum non fuiſſe peccaturum, vt ibidem ſentit Auguſt. quia alioqui fruſtra commendaret beneficium immaturæ mortis. Maneat ergo in prima tantùm præſcientiæ ſignificatione ſuprà explicata, negari ab Auguſtino præſcientiam peccatorum eius qui raptus eſt, ne malitia mutaret eius intellectum, atque ideò negari; quia peccata abſolutè futura non erant. Ex quo reliquum ſit, vt idem Auguſt. non neget præſcientiam contingentium ſub conditione futurorum ante diuinum decretum in eo ſenſu, quem probamus, ſed potiùs illam apertè aſſerat, vt nobis videmur oſten-

cap. 5. Atque hinc etiam fit, vt idem S. Auguſt. de correctione & gratia cap. 8. dum agit de illo ipſo teſtimonio, Sap. 4. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius:* cum cuius occaſione dixit de Prædeſtinatione Sanctorum loco in argumento citato Deum non præſciuiſſe quod futurum nō erat, hæc proferat. *Reſpondeant ſi poſſint cur illos Deus cùm fideliter & piè viuerent, non tunc de vita huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum. Vtrum hoc in poteſtate non habuit, an eorum mala futura neſciuit? Nempè nihil horum, niſi peruerſiſſimè, atque inſaniſſimè dicitur.* Quibus verbis ea quæ alio loco dixerat non futura, & ideò nō præſcita, quia ſcilicet non erant abſolutè futura; hîc futura vocat, quia, nimirum, ſunt ſub conditione, & ex hypotheſi futura, ac proptereà ſub huiuſmodi ratione docet ea præſciri.

Ad ſecundum reſpondeo, Maſſilienſes, & Semipelagianos vſos fuiſſe ad ſuos errores confirmandos, non quacumque ſcientia cōtingentium ſub conditione futurorum: ſed ea, qua putabant à Deo ſub conditione præſciri initia fidei ex naturæ viribus prodeuntia, vt patet ex epiſtolis Sanctorum Proſperi, & Hilarij ad Auguſt. & ex ipſomet S. Aug. de Prædeſt. Sanctorum cap. 17. Huiuſmodi autem conditionatorum ſcientiam cum omnibus Catholicis reiicimus ac damnamus. Dicimus enim cum S. Aug. epiſt. 105. ad Sixtum, & de Prædeſt. Sanctorū cit. cap. 17. (quæ loca quaſi nobis aduerſantia fruſtra nonnulli afferunt.) Dicimus (inquam) credentes, vel credituros non ſic ad diuinam præſcientiam pertinere, vt eis fides ipſa

ipſa deſuper non detur;nec Deus eos credentes faciat.Si enim præuidet Deus fidem abſolutè futurã,præuidet illã futurã ex vocatione congrua ad credendum abſolutè danda; ſi eã præuidet futurã ex hypotheſi,præuidet ſimiliter dandã eſſe ex hypotheſi vocationem congruam ad illam, ratione cuius fides ſit ex hypotheſi futura; ac proinde per huiuſmodi ſupernaturalẽ vocationem quam ſcit ita congruere, vt eam vocatus non reſpuat, ſemper ipſe daturus eſt fidem, & facturus credentes eo modo,quo fidem & credentes præuidet.Damnata igitur ſcientia illa conditionatorum, quam Semipelagiani excogitarunt, dicimus contingentia ante diuinum decretum certò quidem præuideri ex hypotheſi futura, vel potiùs præſentia, vt ſuprà explicauimus c. 6. in fine & ſeqq. ita tamen vt cognoſcantur à ſuis cauſis ex hypotheſi exiſtentibus pendere, ſiue ſupernaturales, ſiue naturales eſſe debeant pro natura effectus.

Neque verò ex huiuſmodi ſcientia in ſigno illo rationis conſtituta ſequitur, vt in Prædeſtinato ſit cauſa,aut ratio aliqua Prædeſtinationis.Ex doctrina enim S.Auguſt.de Prædeſtinat.Sanctorum, cap.13.& 14.& de bono perſeueran.cap.10.& 11. & alibi paſſim, conſtat, id ſolum quod re ipſa, & abſolutè futurum eſt,poſſe eſſe rationem aliquid obtinendi à Deo: non autem id quod futurum eſſet, ſi certæ quædam conditiones ponerentur. Nam ſicut Deus nullam infligit pœnam propter peccata abſolutè non futura, quæ tamen facturus quis eſſet, ſi in certis circumſtantiis conſtitueretur; ita nec vllum confert beneficium propter bonum arbitrij vſum, quem præuidet conditio-

naliter tantummodò futu um. Nec vlli ſanè ſunt reprobi, quos non præuiderit Deus, eximi.. qu a q; pietatis opera effecturos, ſi vocationem ſuis mentibus congruam haberent. Hinc fit, vt cum S. Auguſt. de bon. perſeueran. cap. 11. & S. Thom. 3. par. q. 2. art. 5. ad 2. fateamur, quamuis ha c ſcientia, de qua agimus, Prædeſtinationem ordine rationis antecedat; non tamen eſſe volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei, quia ex iis quos vidit conſenſuros, ſi hac vel illa ratione vocarentur, hos tamen & non illos inſcrutabili ſuo iudicio prædeſtinauit; & pro ſuæ Prædeſtinationis libero decreto, quibus voluit per illius vocationis largitionem ſubuenit, quibus noluit non ſubuenit: ſed quamuis hæc ita ſint, facilè tamen concedi debet, conſenſum creatum futurum, eſſe conditionem, ſine qua hæc ratio ordinis mediorum in finem ſupernaturalem non habeat rationem Prædeſtinationis, ſed rationem ſolùm communis Prouidentiæ ſupernaturalis. Aliud enim eſt, vt detur cauſa, ratio vel conditio, ob quam Deus hunc potiùs quàm illum prædeſtinet, hoc eſt velit vt ſaluus fiat, & ob hunc finem velit executioni demandare illum ordinem mediorum, per quem infallibiliter perducendus eſt in vitam æternam. Aliud verò vt detur conditio, per quam habere poſſit, aut ſine qua habere non poſſit ordo hic mediorum ſimul cum executionis voluntate rationem Prædeſtinationis. Antequàm enim Deus prædeſtinet; oportet vt præcognoſcat, quiſnam ordo mediorum in finem infallibilem habeat cum ipſo fine connexionem, ſed tamen quamuis per aliqué ordinem præuideat infallibiliter perducendum

ducendum hunc hominem ad finem Prædeſtinationis, non tamen mouetur ad hunc hominem prædeſtinandum ab efficacia illius ordinis, ſed potiùs, quia ex libera ſua voluntate intendit efficaciter huius hominis ſalutem, ideò eligit medium huic intentioni accommodatum. Ideò non ſequitur vt quod eſt conditio, ratione cuius hic ordo mediorum in finem aptus ſit ſimul cum voluntate executionis conſtituere Prædeſtinationis rationem, ſit etiam aliquo modo cauſa, aut ratio Prædeſtinationis, in eo ſenſu, qui à Scholaſticis communiter excluditur: quamuis enim hic ordo talis ſit, reſpectu huius hominis, atque vt talis à Deo cognoſcatur, adhuc tamen intelligitur voluntas diuina omnino indifferens ad hunc hominem prædeſtinandum, & non prædeſtinandum. Et ſi hic numero ordo mediorum, non perduceret infallibiliter hunc hominem ad ſalutem, ſi Deus voluiſſet vllum prædeſtinare, elegiſſet alium ordinem, & quamuis de facto talis ſit, vt ſit congruus ad infallibiliter gignendam huius hominis ſalutem, ſi tamen noluiſſet Deus hunc hominem prædeſtinare; omiſiſſet hunc ipſum ordinem, ſicut de facto circa reprobos omiſit multos mediorum ordines, quibus executione demandatis præuiderat illos infallibiliter adepturos ſalutem. Eſt ergo conſenſus arbitrij creati ex hypotheſi futurus cõditio, ſine qua hæc ratio ordinis mediorum in finem, quæ de facto habet rationem Prædeſtinationis, huiuſmodi rationem non haberet, quia media alioquin non eſſent congrua & efficacia, non tamen datur ex parte prædeſtinati aliqua cauſa, ſeu

ratio cur hic potiùs quàm ille prædeſtinetur, ſed id ex libera ſolùm Dei voluntate pendet, qui circa vnum quemque hominum plures vidit ordines mediorum habentes illam conditionem congruitatis, cum qua addito propoſito executionis conſtitueretur Prædeſtinatio, & tamen pro ſua ſolùm libera voluntate hos prædeſtinauit per hæc determinata media, illos autem ſimpliciter non prædeſtinauit.

Ad tertiam reſpondeo, ſcientiam contingentium ex hypotheſi futurorum, quam in Deo ante decretum conſtituimus non eſſe mediam inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, vt patet ex iis quæ tetigimus in proœmio huius Opuſculi in fine: cum enim hæc ſcientia reſpiciat obiecta, quæ, quatenùs ad eam pertinent, non exiſtunt actu, & realiter in certa differentia temporis, hoc ipſo eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ in eo diſtinguitur à ſcientia viſionis, quòd hæc verſetur circa obiecta ſub altera contradictionis parte contenta, hoc eſt, circa ea, quæ, quatenùs ad eam pertinent, formaliter includunt exiſtentiam.

Ad confirmationem reſpondeo, teſtimonium illud S. Thomæ non ita intelligendum eſſe, vt cauſa libera antequàm exeat in actum ſecundum, determinationem aliquam requirat in actu primo per aliquid ſuperadditum. Idem enim S. Thom. de malo. q. 3. ar. 3. ad 5. ait. *Voluntas cùm ſit ad vtrumlibet per aliquid determinatur ad vnum, ſcilicet, per conſilium rationis, nec oportet hoc eſſe per aliquod agens extrinſecum.* Hanc verò eamdem doctrinam habet Ferrar. 3. con. gen. cap. 23. §. ad huius euidentiam, in fine. Et 1. con. gen. cap. 82. §. Ad primum horum ait, id quod

eſt

eſt indeterminatũ per modum materiæ,& potentiæ paſſiuę indigere determinatione ab extrinſeco agente: ſi quid tamen inderminatũ ſit per modum agentis liberi, & ad vtrumlibet ſe habentis, hoc non oportere vt determinetur ab extrinſeco, ſed ipſum ſe ratione ſuæ libertatis determinare poſſe. A cauſa igitur indifferenti per modum agentis liberi, qualis eſt creata voluntas, ſi realiter exiſtat, exit realiter actus determinatus per conſilium rationis propter ipſius libertatem, Ab eadem verò ex hypotheſi ſolùm exiſtente antè diuinum decretum exit eodem modo actus determinatus ex hypotheſi, qui tam certo pro eo ſigno videri poteſt, vt ex hypotheſi exiſtens, quàm certò videtur, vt realiter exiſtens, ſi in alio ſigno poſteriori exiſtentiam realem, atque abſolutam acquirat.

Ad quartum reſpondeo per hanc ſcientiam ante diuinum decretum conſtitutam optimè conciliari libertatem arbitrij creati cum infallibilitate diuinæ Prouidentiæ, & Prædeſtinationis, atque cum efficacia gratiæ, quia certitudo euentus dicitur niti infallibilitati huiuſmodi ſcientiæ: non autem eſſentiæ motionis phyſicæ prædeterminantis, quæ videtur libertatis vſui aduerſari. Ex his quæ attulimus in Opuſc. proximo. Cúmque ad huiuſmodi motionem, (vt ipſimet Aduerſarij contendunt) recurrendum omnino ſit, ſi certa in Deo ſcientia negetur exiſtere contingentium ex hypotheſi futurorum ante decretum, ſequi videtur, vt abſque huius ſcientiæ beneficio in ſigno illo rationis conſtitutæ Prouidentia, Prædeſtinatio, & Gratia efficax ſatis explicari, & cum libertate creatâ conciliari non poſſint. De qua re videri poſſunt,

quæ fuſè, atque egregiè tractant Molin. p.p.q.14. ar.13.& q.23.ar.5.& alij Auctores ſuprà pro noſtra ſententia citati, dum agunt de Prouidentia, Prædeſtinatione, & Gratiæ donis.

Quod verò in eodem argumento additur, hac ſcientia in ſigno illo rationis ante decretum conſtituta, vſum liberi arbitrij tandem referendum eſſe in conſteſtationem aliquam, aut naturalem proprietatem à qua pendeat certitudo euentus, & cognitionis: ſatis ex ſuperioribus patet quàm ſit falſum. Vt enim actus liber nunc realiter exiſtens non refertur niſi in liberam voluntatem, vt in cauſam ſecundam, & Deum vti cauſam primam, nec certus eſt antequàm fiat, ſed ſolùm quatenus exiſtit; ita etiam ſimilis actus ex hypotheſi exiſtens in eaſdem cauſas refertur, vt ex hypotheſi exiſtentes, nec certus eſt, niſi quatenus ex hypotheſi exiſtit extra cauſas: neque ſub vlla alia ratione dicitur à nobis certò cognoſci.

Ad quintum reſpondeo, quicquid ſit vtrum decretum Dei conditionale ita ſe habeat ad futurum conditionale, ſicut decretum abſolutum ad abſolutè futurum, quatenùs conditionale futurum accipitur ſub ratione futuri contradiſtincta à ratione præſentis, & aſſeritur per veram hypotheticam, & per illationem. Quatenùs tamen futurum conditionale reſoluitur in aliquid actu exiſtens ex hypotheſi modo ſuprà explicato, cap. 6. in fine, & ſeqq. nullum planè requiritur decretum conditionatum realiter exiſtens, ſed ſatis eſt decretum exiſtens ex hypotheſi, vt ibidem explicauimus. Vt enim aliquid ex hypotheſi exiſtat ſatis vt eſt ſi illæ ipſius cauſæ ex hypotheſi exiſtant, quorum realis,

& abſo

& abſoluta exiſtentia ſatis eſt, vt idem effectus realiter, & abſolutè exiſtat.

Atque hæc de tota hac diſputatione, de ſcientia quam Deus habet ante omnem actum liberum earum rerum, quæ ex hypotheſi exiſtunt. Quæ omnia Doctorum virorum iudicio, & L.R.S. coniectioni ſpontè ſubiicio.

FINIS.

Errata quæ Typographi inſperſit incuria; ſic amabò emendantor.

Pag.8 lin. 25.diſſentiat,lege diſſentiatur.p.11.l 22 præſentia,lege præſcientia. p.15.l.14. liberum, conuertatur, lege liberum, vt conuertatur. p. 21. l. 13. notione, leg. motione. p. 25. l. 19. efficiens, leg. ſufficiens p. ead. l. 24. motione atque excitatione, leg. motioni atque excitationi. p. 53. l. 1. eaque, leg. eamque. p. 57. l. 16. ne coactioni, leg. nec coactioni. p. 59 l. 8 motu, leg. moto. p. 67. l. 14. quod è poſſe illi diſſentirem, leg quod eſt poſſe illi diſſentire. p. 79. l. 18. Deus operatur, lege Deus non operatur. p. ead. l. 23. promiſſiuè, lege permiſſiuè, & ſi quæ in hac dictione ſimilia contigerint. p. 84. l. 27. elici, lege eliciti. p. 92. l. 27. perducere, lege producere. p. 100. l. 11. non intendat verò, lege non intendat: intendat verò. p. 107. l. 1. ineſtimabiles, lege inextricabiles. d 127 l. 26. poſtne verò, ſit, lege poſteà verò, vt ſit. p. 138. l. 23. nullam, lege vllam. p. 139. l. 14. in magnifeſtam conditionem, lege in manifeſtam contradictionem. p 157. l. vlt. eſſe ſecundùm rationem, lege eſſe priorem ſecundùm rationem: p. 172. l. 13. torſitum, lege torſit, tum. p. 174 l. 15. dico igitur, lege duo igitur. p. 177. l. 7. per hoc animi, lege per hæc enim. p. 179. l. 6. hos, lege nos. p. ead. l 22. pœnitentia, lege pœnitentiæ. p. 196. l. 24. notionibus, lege notioribus. p. 24. l. 29. ratione leg rationem. p. ead. l. 30. habere, lege haberet. p. ead. l. 31. appoſita, leg. oppoſita. p. 259. l 19. ſubdemus, leg. ſubdimus. p 265. l. penult. futuro, leg. futura. p. 266 l. 10. præſentes. Ita leg. preſentem; ita. p. 272. l. 28. hæc, leg nec. p. 273. l. 12. tentationem, leg. tentationum. p. 277. l. 26. executione, leg. executioni. p. 280. l. 8. conſteſtationem, leg. conſtellationem. p. 281. l. 6. coniectioni, leg. correctioni.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

15

5-5-1

3n B 19